



CONGREGATIO GENERALIS XXIII

20 novembris 1962

Exc.mus P. D. PERICLE FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis*:

Praesidet hodiernae congregationi generali em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Frings, *arch. Coloniensis*.

Prosequitur disceptatio de principiis generalibus schematis constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis*.

Loqui postulaverunt exc.mi DD.: Georgius Cabana, *arch. Sherbrookensis in Canada*; Bernardinus Echeverria, *ep. Ambatensis in Aequatore*; Fidelis Garcia, *ep. tit. Sululitanus in Hispania*; Michaël Klepacz, *ep. Lodzensis in Polonia*; Henricus Nicodemo, *arch. Barenensis in Italia*; Antonius Quarracino, *ep. S. Dominici Novem Iulii in Argentina*; Geraldus de Proença Sigaud, *arch. Adamantinus in Brasilia*; Aloisius Carli, *ep. Signinus in Italia*; Victorius Costantini, *ep. Suessanus in Italia*; Anicetus Fernandez, *sup. gen. O. P.*; Iulius Barbeta, *ep. tit. Pharanitanus in Italia*; Ioannes Ferro, *arch. Reginensis in Italia*; Franciscus Franić, *ep. Spalatensis in Iugoslavia*.

1

Exc.mus P. D. GEORGIUS CABANA

Archiepiscopus Sherbrookensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Per triginta annos ministravi in dioecesibus ubi multi fratres separati commorantur. Experientia personali testificari possum illos bona voluntate praeditos velle cognoscere Ecclesiae Catholicae doctrinam clare expressam, quando loquuntur nobiscum de religione. Expectant veritatem non nebulosam et admirationem habent pro iis qui in certo modo respondent eorum quaestionibus.

Meminisse iuvabit, in Encyclicis Litteris *Humani generis* Summus Pontifex Pius XII f. r. scripsit haec: « Caveant etiam ne limites transgrediantur a nobis statutos ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae



tuendam. In quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant peruestigationem, sed ea, qua par est prudentia et cautela; nec denique putent falso "irenismo" indulgentes ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractationeque, sincere omnibus tradatur ».

His consideratis affirmare debemus quod in schemate *de fontibus revelationis* exponitur Ecclesiae doctrina secundum normas ab illis Encyclicis Litteris traditas. Meo iudicio schema illud supplet episcopis et sacerdotibus quod requiritur pro eorum ministerio pastorali cum catholicis et acatholicis.

Unde mihi illud placet et non reiciatur. Eheu, eheu!, tempus fugit, venerabiles Fratres. Quapropter humiliter propono ut huius schematis diversa capita quamprimum studenda sint. Quando necessarium erit, emendationes fieri possunt amabiliter, suaviter in caritate Christi. Dixi.

2

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Em.mi ac rev.mi Patres, exc.mi Fratres,

Multa et quidem magni momenti circa quaestionem num schema *de fontibus revelationis* sit vel non reiciendum audivimus. Et tamen usque nunc adhuc perfecta concordia inter Patres conciliares non datur. Liceat aliqua facta considerare quae forsitan ad solutionem adiuvere nos possunt.

1. Nobis omnibus constat istis ultimis annis multae prodiere sententiae et opiniones circa Scripturae Sacrae interpretationem, quae sine dubio id docent quod Sancta Mater Ecclesia numquam docuit; e. gr. non pauci credunt quod textus tam Antiqui quam Novi Testamenti non simpliciter sensu litterali et historico, sed potius sensu *quodam critico et pseudo-scientifico*¹ interpretari debent. Secundum tales opiniones, facta quae usque nunc in Vetere Testamento consideravimus tamquam historica, proprie loquendo, non ut historica sed potius ut litteraria considerari deberent, quamvis divina revelatio non excludatur. Immo etiam in Novo Testamento facta quae usque nunc uti stricte historica considerabamus, iam non amplius ut talia considerari deberent. Omnes scimus multos esse qui, e. gr., Annunciationem ut factum historicum negant, non secus ac historiam Regum Magorum et multa alia huiusmodi. Se-

cundum istas modernas opiniones et sententias, ipsamet personalitas hagiographi disparere deberet ut potius communitas christiana loco hagiographi ponatur, ad quod triplici quasi *gradu progreditur*:² nempe: historia facti, commentario communitatis et descriptione hagiographi, ita ut, fine finaliter, non scientia dogmati accommodari debeat sed, e contra, dogma accommodandum sit scientiae.

2. Tales sententiae et opiniones praesertim apud theologos non catholicos vulgantur, qui id acceptare autumant quia cum critica historica et cum modernis investigationibus magis consentaneum credunt. Sed non est dubium quod tales opiniones et sententiae non solum ab acatholicis propugnantur. Multi inter catholicos prони sunt ad tales opiniones acceptandas, ad hoc ducti quidem sanctis, nobiles et pastoralibus intentionibus. Attamen, quomodocumque catholicorum aptitudo explicetur, sive admittant sive non admittant tales theorias, *verum absolute et evidens est*³ tales sententias et opiniones, quae revera vera non sunt, periculum praebere contagionis et facile propagari posse.

3. Talibus in adiunctis, ut bene notat monitum S. Officii 21 iunii 1961, tales sententiae et opiniones anxios faciunt et pastores et christifideles. Haec anxietas maior est si consideratur quod tales sententiae et opiniones non solum personas particulares dividunt, sed ipsas institutiones. Omnes scimus quanta et qualia ...⁴ etiam nobis praesentibus producantur etiam inter Almae Urbis instituta principaliora, ita ut non absonum a veritate erit si dicamus quod ...⁵ unitatem cum fratribus separatis quaerimus, nostram propriam unitatem internam rumpimus. Exemplum classicum *habemus omnes*.⁶

4. Concilium indictum est, et, semel indicto, commissiones a peritis selectis ab ipsomet Summo Pontifice compositae laborare coeperunt. Commissio theologica sicut et aliae commissiones prae oculis habebant necessitates hodiernas pro quibus remedia invenire satagebant. Commissio theologica indubitanter tam memoratos errores quam anxietates ...⁷ christifidelium *et*⁸ pastorum tam scandala inter diversa instituta prae oculis *habebat*,⁹ et ut medicina pro praesentibus malis paretur, schema confecit...¹⁰

5. Concilio incepto, omnium ubique terrarum Patrum praesentia, iam non commissionis sed Patrum est munus praesentibus malis remedia parare. Munus igitur nostrum irrenunciabile, gravissimum, est erroribus aditus claudere, anxietates tam pastorum quam christifidelium quietari, definitiones et declarationes non secus ac cetera omnia alia Concilia facere; uno verbo, depositum fidei ante omnia et super omnia integrum servare et custodire. Si mediantibus claris, distinctis, certis definitionibus anxietates de medio non tollimus, erroribus portas non clau-

dimus, et scandala non vitamus, *forsitan*¹¹ supervacanea nostra praesentia...¹²

6. Quomodo id facere debemus? Attendendo ad Ecclesiae magisterium, attendendo ad Summorum Pontificum doctrinam. Memores *esse debemus*¹³ aliam viam sumere non posse nisi eam quam semper tenuit Ecclesia, aliud iter sumere non posse nisi illud quod a Vicariis Christi monstratur. Illa via determinata est iam a Pio XII, sanctae memoriae, quando non multum post temporis a promulgatione sapientissimae *Divino afflante Spiritu*, a circumstantiis *compulsus*,¹⁴ aliam Encyclicam scribere coactus est, nempe *Humani generis*, in qua abusus peractos condemnat et de illa nimis liberiore opinione conqueritur quae veritatem historicam et obiectivam Veteris Testamenti evertere praetendit. Illa via determinata est etiam a Sanctissimo Patre nostro Ioanne, quando in sua laudatoria allocutione, occasione quinquagesimi anniversarii fundationis Instituti Biblici, ab eruditis in studiis biblicis « prudentiam et sobrietatem » exigit, ne ut conclusiones definitivas praesentent ea quae nihil aliud sunt quam hypothesis laboris. Via ista tandem determinata est a Congregatione S. Officii cuius caput supremum ipsemet Summus Pontifex est. In monito iam memorato mensis iunii 1961, ut periculosae signantur illae sententiae et opiniones quae in discrimen adducunt germanam veritatem historicam et obiectivam Scripturae Sacrae, non modo Veteris Testamenti, verum etiam Novi, etiam quoad dicta et facta Christi.

7. Commissio theologica praeparatoria Concilii nihil aliud prae oculis habuit nisi hoc: sententias nempe et opiniones falsas, periculum propagationis erroris, doctrinam quam semper magisterium Ecclesiae docuit et Summi Pontifices confirmaverunt. Et itaque tanto morbo medicinam parantes, aditum erroribus cum prudentia claudentes, doctrinam quam usque nunc Ecclesia tenuit, in schemate praesentavit. Nihil novi in schemate inveniri iam aliqui asseruerunt, et de facto nihil novi in schemate offertur. *Una solum novitas*,¹⁵ una solum actualitas, illic invenitur, relatio nempe et habitudo...¹⁶

Praeses card. FRINGS: Excusas me, Pater, tempus finitum est.

In textu scripto tradito: ¹ scientifico et critico. ² gressu progrediendo. ³ sive implicite sive explicite illis assentiant, unum est absolute verum et evidens. ⁴ scandala. ⁵ dum. ⁶ in hac propria nostra aula conciliari habemus, in qua circa quaestionem de qua agimus criteria tam diversa sunt, ita ut valde timendum sit ne unitas sensus finaliter inveniatur. ⁷ tam. ⁸ quam. ⁹ habere debuit. ¹⁰ Periti theologi qui in commissione adlaboraverunt, id solum



intenderunt, ut malis hodiernis medicina paretur. ¹¹ deest. ¹² A primo Concilio Hierosolymitano usque ad ultimum Vaticanum, semper in Ecclesia mos fuit, conscientias ad tranquillitatem inducere per veritatum affirmationem et per principiorum declarationem. Id etiam nos in praesens facere debemus. ¹³ tamen simus nos etiam. ¹⁴ deest. ¹⁵ deest. ¹⁶ aeternae veritatis ad modernas sententias et opiniones. Et si ita res se habent, nihil aliud nobis suppetit nisi schema, in quantum a commissione praeparatoria praesentatum, immediate examini subiiciamus, et quae sunt approbanda approbemus, et quae reiicienda reiiciamus; istud est nostrum ius, nostrumque munus id est. Pro bono pacis et ad unitatem inter nos ipsos fovendam, consentiente sanctissimo Patre nostro Ioanne, observationes, spoliationes, correctiones et vota ad commissionem mixtam tradantur, ut tandem textus definitivus pro nostra approbatione paretur.

3

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ

Episcopus tit. Sululitanus

Em.me Praeses, venerabiles Fratres Conciliares,

Ex his quae audivimus in ...¹ praecedentibus congregationibus generalibus et in hac hodierna, patet inter Patres Conciliares duas ortas esse positiones contrarias circa schema in genere *de fontibus revelationis*. Multis Patribus schema simpliciter non placet, licet explicite fateantur uberem et veram in eo doctrinam theologiam contineri. Aliis vero schema simpliciter placet, licet ipsi quoque non pauca, immo et maioris momenti in eo vel supprimenda vel addenda vel emendanda esse concedant, ita ut haec supprimenda vel addenda vel emendanda, ea ipsa esse videantur, saltem plerumque, quae fundamentum contrariae positioni praebeant, ut suum *non placet* pronuntient.

Diximus « saltem plerumque », quia alia origo discrepantiae datur, quaeque non consistit in suppressione vel additione vel emendatione alicuius propositionis vel paragraphi determinatae, sed in universo tenore vel forma litteraria schematis, quod, iuxta plures Patres, formam scholasticam nimis sapit, potius quam documentum pastorale, quamvis dogmaticum, ad populum christianum, maxime vero ad homines nostri temporis, accommodatum.

Neque deest *his*² opinantibus grave fundamentum, nempe auctoritas ipsius Summi Pontificis Ioannis XXIII, qui in ipsa oratione inaugurali huius Sacrosancti Concilii, postquam dixit « neque opus nostrum, quasi ad finem primum, eo spectat ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur



ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt... Etenim, ad huiusmodi tantum disputationes non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur ». Post haec — inquam — verba, haec alia subicit: « Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eadem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet hae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant ». Unde iuxta haec Pontificis verba non sufficit ad hoc magisterium pastorale ut doctrina tradita sit vera, etsi haec veritas fundamentum primum sit omnis authentici magisterii, sed requiritur insuper ut modus tradendi vere pastoralis sit, seu magis aptus ad animos captandos et efficaciter movendos.

Id postremo notandum venit: omnes Patres cuiuslibet positionis in eo convenire ut universam doctrinam hucusque ab Ecclesia definitam vel certe catholicam, indubitanter recipiant et profiteantur. Unde discrepantia tantummodo dari potest vel circa res inter theologos catholicos adhuc libere disputatas, vel circa illum tenorem seu formam litterariam pastorem aut minus pastorem.

Nunc vero, suntne hae causae sufficientes iudicandae talium positionum contrariarum, quae huius Sacrosancti Concilii laborem impediunt vel impossibilem reddant illam unanimatem, saltem moralem, qua possit offerre populo christiano complexum doctrinalem, sine ullo veritatis catholicae detrimento, ab omnibus admissum, condicionibus et mentalitati hominis nostri temporis plenius respondentem, et in quo nullae non necessariae difficultates suscitentur aspirationibus oecumenicis, quae tam in corde sunt tum Romano Pontifici tum omnibus qui christiano nomine gloriantur?

Minime, putamus. Unde ad hoc ut longam et difficilem discussionem uniuscuiusque capitis et uniuscuiusque paragraphi schematis, prout iacet, et ratione habita diversarum positionum Patrum, de quibus supra, vitemus, hanc reverenter subicio propositionem: ut commissio efformetur em. morum cardinalium cum exc. mis episcopis et aliis Patribus Conciliaribus, non valde numerosa sed vere repraesentativa diversarum positionum, qui novam redactionem peragant schematis, auditis, si opus fuerit, commissione de fide et moribus et secretariatu pro unione ecclesiarum, ea intentione ut ad maximam, quam possint, perveniant concordiam, eamque redactionem Concilio offerant. Non certe hac ratione omnes evanescent difficultates, sed valde minuentur. Ac interim, dum haec nova redactio perficitur, Sacrosanctum Concilium examini alicuius



schematis iam parati vacare poterit, v. gr. schematis de Ecclesiae unitate, cuius obiectum valde connexum est cum his omnibus schematibus dogmaticis. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ duabus. ² id.

4

EXC.MUS P. D. MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Independentem a decisione venerabilium Patrum, utrum scilicet hoc an aliud schema prae oculis habendum sit, volo observationes aliquas facere, quae utiles esse possint pro actuali vel aliquo futuro — nescio an meliore — schemate.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II scopum habet praesertim pastorem; innititur tamen fidei veritatibus, sine quibus praxis fundamento careret.

Praeterea Concilium omnibus viribus eo tendere vult ut omnes in Christum credentes, qui scilicet Scripturarum Sacrarum originem divinam omnes agnoscunt, sub uno pastore sese congregent unumque a Christo praedictum ovile denuo constituent.

Ideo profundiore modo proponenda sunt — quod utique a plurimis eximiis theologis et scientiarum biblicarum peritis factum est — tum quaedam fidei veritates adeo magni momenti pro homine moderno, tum etiam principia pro hodierna cura pastorali, quae dogmate innixa ad nostrae aetatis necessitates melius accommodari ideoque lingua hodie vere intellegibili et apta ad convincendum hominem hodiernum uti debet.

*Haec omnia melius in prooemio ad fontes revelationis, instar schematis liturgici, modo ampliori tractari possunt. Ibi et methodus agendi cum hodierno mundo amplius suggeri posset.¹ Deinde² quoad titulum totius schematis eiusque cap. I quaestio ponenda est, utrum Traditioni eiusque privilegiatae in Sacra Scriptura expressioni nomen « fontis revelationis » recte tribuatur, cum « fons » revelationis omnis sit ipse Deus, dum Traditio et Scriptura non sunt nisi fontes *cognitionis nostrae*, de revelatione divina. Quare potius loquendum esset de « revelationis deposito et testimonio » vel quid simile.*

In specie vero, relate ad materiam cap. I schematis actualis, prae

oculis habendum esset Sacram Scripturam — maxime Evangelia —, ex una quidem parte in praedicatione orali Ecclesiae aevi apostolici radicari, ex altera vero prioritatem quandam respectu Traditionis post-biblicae habere, cum haec *etiam* ex verbo Dei scripto suam inspirationem haurire et in evolutione sua ad Scripturam sese referre debet, ut in proprio suo progressu ab ipsa vivificetur, necnon ideas in Sacra Pagina contentas evolvat et in lucem edat.

Quamvis cap. I de magisterio Ecclesiae iam mentionem facit, perutile tamen videtur aliquomodo magis efferre, quod Sacra Scriptura legenda est « in Ecclesia » quae, utpote « columna et firmamentum veritatis », ...³ vivum Traditionis organon constituit et in vera stat continuitate cum verbo Dei ab apostolis praedicato et sub inspiratione divina scriptis mandato.

Non caret etiam momento sublineare in quaestione de inspiratione influxum divinum non solum in mentem auctoris humani exerceri, sed etiam in alias facultates humanas, uti sunt memoria, phantasia, etc. quae praesertim in operibus poeticis maiores partes habent, cum imago poetica non sit mera vestis cuiusdam ideae conceptualis.

Extollenda etiam videtur efficacia salutaris verbi Dei in Sacra Scriptura expressi, quae efficacia primarius inspirationis effectus esse videtur magnumque pastorale momentum habet: « vivus est enim sermo Dei et efficax » ...⁴, est « insitum verbum, quod potest salvare animas vestras » ...⁵ Verbum Dei vim vero suam salvificam exercere valet sive in praedicatione, sive in lectione et meditatione Librorum Sacrorum, sive etiam in eorum auditione per medium radiophonicum. Quae omnia utique sub exegetica Ecclesiae tutela fieri debent, ut errores vitentur, a quibus fratres nostri dispersi sese hodie avertunt.

Quoad efficaciam florentis hodie « motus biblici » notare hic etiam iuvat non solum scientiarum biblicarum peritos sed etiam plures scriptores catholicos perpulchras nobis de Sacrae Scripturae textibus et factis praebere disquisitiones et reflexiones quae in hodierni hominis animam tam felicem et vere salutiferum influxum habent. Ita ex. gr. suavissima de agri floribus caelorumque volucris parabola necnon narratio de Martha et Maria prae oculis ponuntur hominis hodierni, qui in labore impenso pro vita sustentanda et opibus acquirendis totus immergitur, ita ut tandem — et non raro — nausea, animae depressio, immo pessimismus exinde oriatur. In Sacris vero Evangeliiis Christus splendidum nobis ostendit proponitque aequilibrium in corporis et animi requisitis; effert enim momentum in vita hominis respectus sinceri versus omnem valorem vere humanum. Ipse quoque inculcat nobis principium vitale de excessibus vitandis. Proh dolor, egregia quandoquidem opera



litteraria unilateralitatem quandam prae se ferunt, cum aut excessivam indolem dramaticam habent, aut in vulgarem naturalismum cadunt. Quam superius et magis humanum exemplar nobis afferunt verba Christi in Scriptura relata! Perutile esset proinde annuere explicitius ad efficacitatem salutarem verbi Dei in Scriptura, cum verbum illud, ut dicit Apostolus, vere « operatur in vobis qui credidistis »...⁶

Quoad alium inspirationis effectum, scilicet inerrantiam, animadvertere oportet parvas discrepantias, ex. gr. inter quatuor evangelia, quae discrepantiae veracitatem traditionis evangelicae potius extollunt simulque patefaciunt unumquemque evangelistarum primo suam expressisse personalitatem in litteraria Evangelii compositione, et praesertim sibi tamquam finem proprium proposuisse vitam Iesu narrare non ut historiam mere chronisticam, sed ut historiam salutis. Quare commendanda videtur accurata indagatio intentionis auctoris inspirati generisque litterarii ab ipso adhibiti, quo principio posito plures fidelium difficultates facilius solvi possunt atque permagnum emolumentum pastorale habetur. Clarius etiam affirmanda videtur independentia indolis inspiratae alicuius libri sacri a quaestione de identitate auctoris humani, quae quaestio potius litteraria est et non tangit valorem divinum libri.

Quamvis Vetus Testamentum sit etiam fons cognitionis nostrae de revelatione a Deo nobis facta, problema de Novo Testamento maioris est momenti pro aetate nostra, quia illud umbra tantum fuit revelationis divinae in Novo Foedere expressae et praeparatio solum ad Christi missionem.

Hodie vero oppugnatur ab aliquibus veracitas Novi Testamenti. Sed multum hic affert exegesis hodierna, quae veracitatem historicam traditionis evangelicae demonstrat simulque ostendit Evangelia efformata esse « in Ecclesia », ideo a Christo condita, ut custos et praedicatrix sit fidei et veritatis. Ipsi enim Christus promisit « Spiritum veritatis qui docebit vos omnem veritatem » ...⁷ et « suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis »...⁸ Ideo attendendum est, ne in formulationibus Concilii Evangelia separari viderentur a fide et praedicatione Ecclesiae aevi apostolici.

Tandem addere hic iuvat Ecclesiam latinam maximi facere traditiones Ecclesiarum Orientis, cum nullus dubitet Graecos et Orientales Ecclesiae Patres maximas habuisse partes in progressu Traditionis christianae omnesque concedere debeant textus originales Librorum Sacrorum, lingua graeca, hebraica et aramica exaratos, eorumque antiquissimas versiones ab ipsis apostolis, ut in Septuagintae casu, vel a primaevis Orientis Ecclesiis adhibitas nulli parem valorem habere. Quare fundamento carere videtur...



Praeses: Carissime Frater, tempus finitum est!

Orator: Iam finio! Quare fundamento carere videtur assertio Ecclesiam latinam parvipendere traditiones Orientis christiani, quae reapse nobis omnibus percarae sunt. Dixi!

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² Quare imprimis. ³ (1 *Tim.* 3, 15).
⁴ (*Hebr.* 4, 12). ⁵ (*Iac.* 1, 21). ⁶ (1 *Thess.* 2, 13). ⁷ (*Io.* 16, 13).
⁸ (*Io.* 14, 26).

5

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO

Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Quoad duas praecipuas quaestiones, quae in disceptationibus hucusque habitis positae sunt quaeque solvendae veniunt, liceat et mihi, rationibus hinc inde allatis attente perpensis, haec quae sequuntur animadvertere.

Ad primam quod attinet nempe utrum schema propositum sit a nobis discutiendum an reiciendum, hoc dicendum censeo. Certo, uti habet *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi*, art. 33, par. 1: « quis Pater verba facere potest de unoquoque proposito schemate vel admittendo vel reiciendo vel emendando ». Attamen, praeterquam iter ab ipso *Ordine* statutum sequi necesse est, reiectio schematis, cum haud dubie gravis sit sententia, et prudens propterea ac iusta quam maxime esse debet. Iamvero ut reiectio alicuius schematis sententia prudens ac iusta quam maxime dici posset, supponendum esset, meo iudicio, schema ipsum essentialiter erroneum esse, sicut in iudicialibus — ut exemplum a similibus afferam — libellus respuitur quando caret fumo boni iuris. Sane omnes, etiam illi qui schema propositum reprobaverunt, consentiunt in admittendo idem schema essentialiter erroneum non esse, excipientes tantum in eo contineri veritates iam a Concilio Tridentino et a Concilio Vaticano I definitas atque deesse earundem veritatum explicitationem et praesentationem ad modernam mentem accommodatas. Ergo non datur in casu locus reiectioni, sed tantum, si opus fuerit, emendationi schematis.

Insuper, ut scitis, diffusum est inter Patres Conciliares schema ex novo exaratum quod proponitur — ut in capite eiusdem legitur — « prout fundamentum disceptationis ». Nunc autem maxima cum reverentia erga eos qui illud schema conscriberunt, si illis hoc liceret et ceteris Patribus



idem aequo iure licere admittendum esset, cum evidenti periculo Concilium praeter modum protrahendi, quin dicam de magna difficultate ex parte Patrum aliquod novum schema mature examinandi, praesertim si de materia summi momenti agitur. Quod ultimum valeret etiam pro schemate a competenti commissione apparato — in casu a commissione theologica, audita commissione biblica, uti propositum est —; praeterea remedium istud difficultates non solveret cum commissiones Spiritus Sancti assistentia non gaudeant, uti hesternae die dictum est.

Videtur igitur schema nobis propositum minime esse reiiciendum, sed discutiendum, ita ut nos per nosmetipsos difficultates solvamus.

Ad secundam — id est, quomodo schema, si opus fuerit, emendari possit et debeat — haec mihi videntur adnotanda. Cum variae gravesque motae fuerint exceptiones sive generales sive particulares, amplissima detur Patribus facultas — ut ceterum, inde a Concilii initio factum est — ea omnia proponendi, adiungendi, corrigendi, coarctandi, quae non solum necessaria, sed etiam utilia cuique coram Domino videntur. Id tamen sollemne sit quod progressus veritatis minime consistit in eiusdem mutatione. Per progressum res eadem augetur, — ut verbis utar Vincentii Lerini quae his diebus mihi occurrerunt, in italicam linguam translata, in articulo ephemeridis “L’Osservatore Romano” — *per progressum res eadem augetur*,¹ per mutationem res fit altera. Accrescat igitur veritatis intelligentia, (penetratio quoque ac enucleatio), sed in eodem genere, in eodem sensu, in eadem doctrina. Hic enim est labor noster, hoc opus in Concilio perficiendum sub Spiritus Sancti assistentia. Sub Spiritus Sancti assistentia — insto —, quia profecto omnes nos theologica ac exegetica studia laudibus sincere cumulamur atque nos ipsi, qua par est reverentia, accipimus et prosequimur; attamen Magister noster unus est, Christus, qui apostolis ac nobis, apostolorum successoribus, mandatum committens docendi omnes gentes, Spiritus Sancti assistentiam in fidei deposito servando et administrando nobis promisit usque ad consummationem saeculorum. Doctores igitur colimus, sed in Spiritum Sanctum credimus. Quare theologorum ac exegetarum studia attente a nobis erunt consideranda, sed veritas a Spiritu Sancto nobis erit suggerenda, dummodo tamen, nostris humanis industriis parum fidentes, in meditatione et oratione instantes erimus.

De cetero animadversiones particulares aliis locis relinquens, unum tantum humillime observabo. Quidquid de dispositione materiae, de forma, de proportionibus et de amplitudine tractationis dici velit, hoc sane verum est quod in conscientia tum laicorum tum etiam nostrorum sacerdotum profunda *hodie*² agitur crisis circa novam praesentationem veritatum fidei nostrae. Unde exigentia urget ut veritates clare et sine



ulla aequivocatione omnibus innotescant, sive qui in Ecclesia sive qui extra Ecclesiam sunt. Huic exigentiae plene respondens Concilium Oecumenicum Vaticanum II munus enixe pastorale adimplebit et omnibus ostendet « Ecclesiam Christi lumen gentium ». Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest.

Praeses: Audiant omnes! Exc.mus secretarius generalis nunc leget propositum magni momenti, quod consilium praesidentiae cepit.

Secretarius generalis: Post exhaustam disceptationem in universum, circa schema *de fontibus revelationis*, progrediendum esset ad disceptationem de singulis schematis capitibus. Sed, quia adsunt Patres qui id existimant opportunum non esse, consilio praesidentiae visum est omnium Patrum conciliarium suffragium exquirere. Proinde Patrum conciliarium suffragationi subiicitur dubium quod sequitur: « An disceptatio de schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* interrumpenda sit ». Qui stat pro interruptione signet in schedula *Placet*. Qui, e contra, vult continuationem, signet *Non placet*.

Repeto dubium quod est maximi ponderis. Audiant bene omnes. Dubium hoc est: « An disceptatio de schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* interrumpenda sit ». Qui stat pro interruptione signet in schedula *Placet*, qui, e contra, vult continuationem, signet *Non placet*.

Nunc distribuentur schedulae suffragationis. Interea continuabitur disceptatio de principiis generalibus usque ad finem; et repetitur hoc variis linguis.

Praeses: Venerabiles Fratres, huic propositioni, quamvis non in omnibus satisfaciat desideriis nostris, ego personaliter ex toto corde accedo, quia mihi videtur solutio optima, pacifica, Ecclesiae honorifica, itaque undequaque convenientissima. Nunc interpretes dicent variis linguis.

Versio gallica

(Exc.mus P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Lorsque la discussion sur l'ensemble du schéma *de fontibus revelationis* va être épuisée, il y aurait lieu de passer à la discussion de chaque chapitre. Mais puisqu'il y a des Pères qui estiment inopportune la poursuite de cette discussion, le conseil de la présidence a cru devoir solliciter à ce sujet le suffrage de tous les Pères conciliaires. En conséquence, le doute suivant



(dubium) est soumis au vote des Pères conciliaires: « La discussion du schéma dogmatique *de fontibus revelationis* doit-elle être interrompue? ». Celui qui est favorable à l'interruption doit exprimer son vote par *Placet*; celui qui est opposé à l'interruption, c'est-à-dire celui qui veut que la discussion se poursuive, doit exprimer son vote par *Non placet*.

Je répète. Le doute suivant est soumis au vote des Pères conciliaires: « La discussion du schéma dogmatique *de fontibus revelationis* doit-elle être interrompue? ». Celui qui est favorable à l'interruption doit exprimer son vote par *Placet*; celui qui est opposé à l'interruption, c'est-à-dire celui qui veut que la discussion se poursuive, doit exprimer son vote par *Non placet*.

Versio hispanica

(Exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Terminada la discusión del esquema *de fontibus revelationis* en general, debería comenzarse el estudio de cada uno de sus capítulos. Pero como un cierto número de Padres Conciliares no lo estiman conveniente, el consejo de presidencia ha creído oportuno pedir el sufragio de todos los Padres aquí presentes. En consecuencia se pone al voto de los mismos la siguiente cuestión: « Si debe interrumpirse la discusión del esquema de la constitución dogmática *de fontibus revelationis*? ». Quienquiera que desee que se interrumpa la discusión del esquema, señale la casilla del *Placet*. Los que deseen la continuación de las deliberaciones sobre el mismo esquema señalen la casilla del *Non placet*.

Repito la última parte: Quienquiera que desee que se interrumpa la discusión del esquema, es decir que rechaze el esquema, señale la casilla del *Placet*. Los que deseen la continuación de las deliberaciones sobre el mismo esquema señalen la casilla del *Non placet*.

Versio anglica

(Exc.mus P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention, please!

Having completed the discussion in general on the schema of the fonts of Revelation, it is in order to proceed to the discussion of the individual chapters of the schema. However, since some of the Fathers consider it inopportune to proceed with the discussion of the present schema, the Council of Presidency has decided to seek an expression of the desire of the Council Fathers in this matter. Wherefore, the following question is being submitted to your vote. The question is: "Should the discussion on the schema, on the dogmatic Constitution *de fontibus revelationis* be discontinued, terminated?" Those favoring discontinuance, should so signify by marking



their ballot in the *Placet* square. Those opposed to the discontinuance, should so indicate by marking the ballot in the *Non placet* square.

I repeat. The question is: "Should the discussion of the present schema be discontinued?" Those favoring discontinuance, mark their ballots in the *Placet* square. Those opposed to the discontinuance, mark their ballots in the *Non placet* square. Thank you.

Versio germanica

(Exc.mus P. D. Vilelmus Kempf, subsecretarius)

Da die Debatte über das gesamte Schema *de fontibus revelationis* abgeschlossen ist, müsste sich eigentlich die Erörterung der einzelnen Kapitel des Schemas anschliessen. Jedoch bezüglich der Konzilsväter, welche dies nicht für opportun halten, erscheint dem Präsidium eine Abstimmung aller Konzilsväter für angebracht. Da würde den Konzilsvätern folgendes Dubium anheimgestellt, nämlich: "Ob eine weitere Diskussion des Schemas der Dogmatischen Konstitution über *de fontibus revelationis* abgebrochen werden soll?" Wer für den Abbruch einer weiteren Erörterung ist, möge auf seinen Stimmzettel *Placet* signieren. Wer dagegen eine weitere Behandlung wünscht, möge *Non placet* signieren.

Versio arabica

(Exc.mus P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

بعد الانتهاء من المناقشة العامة في مشروع مصادر الوحي كان لا بد من التحدّي الى المناقشة الخاصة في كل من فصوله واجزائه . ولكن لما كان في المجمع آباء لا يرون في تلك المناقشة الخاصة خيرا موافقا رأى مجلس الرئاسة ان يستشير جميع آباء المجمع فيحرم عليهم السؤال التالي : هل يريدون وقف المناقشة في المشروع المقدم لهم عن مصادر الوحي . فمن يرغب في وقف المناقشة فليكتب على ورقة الاقتراع او فليضع اشارة على ورقة الاقتراع على كلمة (Placet) ومن لا يرغب في وقف المناقشة فليضع اشارة على ورقة الاقتراع على كلمة (Non Placet)

Secretarius generalis: Audiant omnes! Repeto latine dubium quod propositum est: « An disceptatio de schemate constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis* interrumpenda sit ». Quapropter qui votat *Placet* censet esse disputationem interrumpendam; qui vero suffragium fert *Non placet*, censet disceptationem esse continuandam. Igitur, qui dicit *Placet*, censet esse interrumpendam discussionem, qui dicit *Non placet*, censet esse continuandam. Qui, ob errorem scripsit *Placet* vel *Non placet*, potest petere aliam schedulam ut corrigat.



Praeses card. FRINGS: Em.mus card. Ruffini vult loqui.

Em.mus D. card. ERNESTUS RUFFINI: Aliis verbis « interrumpatur » significat « renovetur », « reficiatur ». Hic est sensus, nempe: si dicitur *Placet*, significat de hoc schemate numquam verbum esse... in futuro, de isto eodem schemate. « Interrumpitur » non est ad tempus, sed significat de renovatione schematis. Non agitur de differenda discussione, circa idem schema, sed agitur de schemate reformando.

Propterea quaeritur an interrumpenda sit disceptatio ut reficiatur schema quia nonnulli putant nos tempus terere si continuatur disceptatio de schemate nobis proposito.

Puto nunc dubitationem esse claram. Propterea qui dicunt *Placet*, volunt dicere non est loquendum amplius de hoc schemate eodem; sed reficiatur secundum criteria iam data a multis. Qui dicunt *Non placet*, volunt continuationem disceptationis de hoc eodem schemate, transeundo ad singula capita ut de iis disceptetur. Interrumpetur nempe donec recognoscatur et renovetur; hoc significat interruptio, nempe: debet refici schema, debet renovari. Propterea, interrumpitur (secundum eos quibus placet), interrumpitur, propterea, disceptatio de hoc schemate.

[*Intervallum 11 momentorum*].

Secretarius generalis: Audiant omnes! Cum multi Patres postulent ultiores explicationes, repeto iterum atque iterum: suffragium *Placet* significare interruptionem discussionis totius schematis, interruptionem sine die. E contra votum *Non placet* significat continuationem discussionis. Repeto iterum: qui dat suffragium *Placet*, vult ut interrumpatur discussio totius schematis et etiam quaestionum peculiarium ipsius schematis. Qui vero dat votum *Non placet*, vult ut continuetur disceptatio.

Patres qui forte erraverunt in schedula conficienda, ne eam dilacerent, sed tradant assignatoribus ut novam schedulam recipiant. Dixi, spero, clare!

[*Intervallum 3 momentorum*].

Praeses: Venerabiles Fratres, nunc resumitur disceptatio generalis. Interdum vota tolluntur.

Accedat ad microphonium exc.mus D. Antonius Quarracino, ep. S. Dominici in Argentina. Accedat ad microphonium exc.mus Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia.

[*Intervallum 1 momenti*].

Loquatur exc.mus Quarracino!

[*Intervallum 1 momenti*].



Videtur quod non adsit. Loquatur proximus, exc.mus Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia et accedat ad microphonium exc.mus Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia.

6

EXC.MUS P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

Venerabiles Patres,

De schemate constitutionis apostolicae *de duplici fonte* in genere erit mea oratio.

Secundum meum humile iudicium: schema placet, et retinendum est ad emendationes recipiendas quibus perficiatur.

1. Placet quia est valde et clarum et concisum et completum. Facile perficietur tam sub aspectu formulationis quam sub aspectu pastoralis.

2. Placet quia actuale et opportunum. De eius actualitate et opportunitate, immo, de eius urgente necessitate erit sermo.

A) Nemo qui vitam et condicionem actualem Ecclesiae Catholicae cognoscit ignorare potest adesse magnam confusionem et serpere gravissimos errores in rebus fundamentalibus...¹

Hodie enim negantur quaedam fundamentalia in Ecclesia. De hac re tristes experientias habemus *in patria mea*² in Brasilia. Fons tamen et causa non est in patria mea, sed in aliquibus partibus Europae. Nos consequentias funestas patimur. Nam multi episcopi alumnos suos in quasdam partes Europae miserunt, iuvenes *quidem*³ pios, oboedientes, plenos fidei et amoris erga sanctam Ecclesiam eiusque traditiones. Post aliquos annos redierunt ordinati quidem sacerdotes, sed pleni idearum perniciosarum, pleni spiritus socialismi, rationalismi, et modernismi. Haec est causa cur multi optimi episcopi brasilienses alumnos suos in Europam amplius mittere nolunt. Haec res gravissima est.

Quaenam est ratio? *En*:⁴ errores gravissimi, quos Pius XII in Encyclica *Humani Generis* denunciavit et condemnavit, non sunt mortui. Adhuc serpunt, cum maximo vigore venenum suum propagant et Ecclesiam iam *inficierunt*.⁵

Hoc a nobis, Patribus Conciliaribus, ignorari vel negari non licet, quin a munere nostro graviter deficiamus. ...⁶ Agitur de quaestione vitae vel interitus Ecclesiae Catholicae, immo ipsius *christianitatis*.⁷

Hac de causa, meo humili iudicio, res esset incredibilis, si congregaretur in alma Urbe Concilium Oecumenicum, et dum Ecclesia Catholica

de his gravissimis rebus agitur, in quibus res est de eius vita et morte, Concilium neque de tam gravi re occuparetur neque rem consideraret, neque decideret, neque fidelibus et clero verbum clarum, definitum diceret, quasi hae res non existerent, quasi Ecclesia undis et vorticibus non agitaretur.

Certe abhinc duodecim annis hi errores serpebant et Summum Pontificem anxietudine premebant dicentem: « Humani generis in rebus religiosis et moralibus discordia et aberratio a veritate probis omnibus, imprimisque fidelibus sincerisque Ecclesiae filiis, vehementissimi doloris fons et causa semper fuerunt...⁸ ».

Sed quod Summum Pontificem maximo afficit dolore, est existentia talium errorum apud catholicos theologos, qui, ut ait Pontifex: « Utique, proh dolor, rerum novarum studiosi, a scholasticae theologiae contemptu, ad negligendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum magisterium Ecclesiae ».

Hi errores adhuc serpunt in Ecclesia; speciali modo serpunt, praeter errores de rebus socialibus et moralibus, errores de Sacra Scriptura et Traditione, seu de duplici fonte revelationis.

Re vera, in campo biblico, agitur, apud multos catholicos, de practica negatione valoris historici fere totius Sacrae Scripturae.

Negatur valor historicus totius Pentateuchi, qui, ita dicunt, nullo modo, Moysen habet auctorem. Creatio hominis, peccatum in paradiso, electio Abrahae, diluvium, ad fabulas et legendas reducuntur. Historia populi hebraici in deserto, patriarcharum, Moysi, iudicum, considerantur merae epopeae, in genere quod dicitur « chansons de gestes » et comparari debent aliis gestis, v. g. « Nibelungenlied », « Chansons de Roland », vel « Cid, el campeador ». David est figura eiusdem generis fere sicut Siegfried...⁹ Historiae Iudith, Esther, Ruth, Tobiae, cum risu commiserationis, ad genus novellarum piarum et phantasticarum reducuntur, nulla ratione habita magisterii Ecclesiae, Sanctorum Patrum et Traditionis. Historia Iona prophetae gestu magno ad fabulas mandatur. In prophetis iam nihil historici invenitur.

In hoc immenso naufragio forsitan salvantur, ut historica, chronica Salomonis et Nehemiae.

Si de Novo Testamento agatur, etiam nihil fere historicum remanet. Capita S. Lucae de visione Zachariae, de Annuntiatione, Visitatione, Nativitate Christi pia et phantastica carmina dicuntur. Angelus Gabriel nunquam physice praesens fuit in domo Mariae in urbe Nazareth. Hae piae narrationes sunt. Ea, quae S. Matthaeus narrat de conceptione Christi et de Magis, meliorem sortem non merentur. Magi ex Oriente nunquam Bethlehem venerunt neque Puerum invenerunt cum

Maria, Matre eius. Scena illa pro fide catholica omnino fundamentalis confessionis S. Petri in partibus Caesareae Philippi totis in punctis creata est ad primatum Petri explicandum. Resurrectio Christi ad modum apotheoseos hellenisticae consideranda dicitur.

Haec non a doctoribus acatholicis tantum docentur. Haec nostris monialibus in conferentiis et congressibus praedicantur. Haec seminaristis nostris ut veram exegetis traduntur. Haec in periodicis catholicis fidelibus praesentantur. Haec in ipsa hac alma Urbe nobis episcopis affirmantur, tanquam ultimae segetes verae hermeneuticae.

Haec est realitas quam ignorare fas non est. Haec demonstrant urgentem necessitatem alicuius acti magisterialis Concilii qui finem ponat tam ingenti et nefastae confusio doctrinae et animarum.

B) Non tantum actuale, *tamen*¹⁰ opportunum et necessarium est schema, sed etiam desideratum.

Schema hoc res tractat quorum solutio ardentem petitur a multis optimis exegetis catholicis...¹¹ *Ipsi materiam quasi*¹² explosivam prae manibus habent. Sed Ecclesia eos ab hac misera condicione liberare potest. Numerus enim rerum periculosarum in Sacra Scriptura non est magnus, et nos episcopi, non exegetae, sed nos episcopi, tanquam apostoli simul et doctores, una cum Romano Pontifice, tanquam testes fidei, custodes et praecones vivae Traditionis has res decidere possumus et debemus.

Si Concilium historicitatem aliquorum capitum Veteris et Novi Testamenti librorum authentice declaraverit, exegeta pius et fidelis alleviatus respirabit, et novo animo. Ait enim Summus Pontifex Pius XII f. m. in Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu*: « Multa igitur remanent, eaque gravissima, in quibus edisserendis et explanandis catholicorum interpretum acumen ac ingenium libere exerceri potest et debet ».

C) Tales res cum magno damno fidei agitas decidere Concilii est.

Per se res disciplinares, liturgicae, iuridicae, pastorales, *per se ad Concilium Oecumenicum non pertinent*.¹³ Potest quidem Romanus Pontifex Concilium Oecumenicum convocare ad res tales tractandas *et fecit*.¹⁴ Sed Concilium ad has res per se non est necessarium. Et in his tractandis non adest illa formalissima nota quae Concilium Oecumenicum fulgore intensissimo ornat, nempe infallibilitatis collectivae. Ratio nempe quasi interna et formalissima Concilii, quae hanc institutionem toto caelo distinctam facit a congressibus et synodis est infallibilitas.

Infallibilitas tamen solummodo habetur quando Concilium decernit et decedit de quaestionibus doctrinalibus de fide et moribus. Nunc vero, meo humili iudicio et iudicio populi catholici, *ni fallor*,¹⁵ non intelligitur quomodo fieri potest ut in tempore in quo res fundamentalis-

simae agitantur et negantur in doctrina de fide et moribus, Concilium de ipsis non agat, de ipsis sileat.

D) Nemo obiiciat: Summus Pontifex nolit tractationem rerum dogmaticarum, sed tantum rerum pastoralium...¹⁶

Duobus verbis *in constitutione apostolica "Humanae salutis Reparator"*, qua Romam convocavit totum orbem catholicum episcoporum,¹⁷ Pontifex Summus totum itinerarium et finem Concilii indicat duobus verbis: « Quaestiones sive ad fidei doctrinam sive ad actionem vitae spectantes » tractare. Quaero: historicitas, inspiratio, inerrantia Sacrae Scripturae non sunt quaestiones fundamentalissimae « ad fidei doctrinam spectantes »?...¹⁸

E) Neque dicendum est, sicut dictum est de schemate, Concilium in longum trahi, si schema hoc discutiatur. Si in hoc Concilio pacem animarum et stabilitatem fidei obtinuerimus, satis esset, et in hunc finem menses et annos sacrificare convenit. Si mentem meam aperire licet, dicam oportere Concilium hoc breve non esse. En ratio. Quando in Ecclesia Catholica tanta confusio idearum existit sicut hodie, Concilium videtur dicendum *ferè*¹⁹ necessarium, et, generatim, in talibus adiunctis a Romano Pontifice convocatur. Infallibilitas personalis Pontificis sufficiens quidem est ut quaelibet quaestio doctrinalis de fide et moribus definitive decidatur. Sed quando in universa Ecclesia inimicus homo semen zizaniarum et confusionis seminaverit, Pater familias ad Concilium confugit, Concilium nempe permagna gratia est quam Christus Ecclesiae concessit, qua duo verba eius in rem ducuntur: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi »...²⁰ et « Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis »...²¹

In hac aula Spiritus Sanctus docet nos, et suggerit nobis quae Christus revelavit. Docet et suggerit. Ad admirabilem dynamismum Concilii pertinet processus quidem laboriosus, saepe saepius dolorosus, quo « multifariis multisque modis loquens » nobis, Spiritus Sanctus intellectibus nostris lumen iniiciens, ut ideas et opiniones nostras paulatim, si oportet, mutemus, corda nostra emulciens, facit ut, quasi partu quodam doloroso, illa harmonia idearum et concordia doctrinarum...

Praeses: Carissime Frater, tempus finitum est.

Orator: Finiam: ... quae ab omnibus nobis exoptatur, exoriatur...²²
Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ In Ecclesia semper fuerunt discussiones et disputationes, nam est viva et libera Ecclesia. Si disputationes sunt de rebus de quibus disputare licet, fiant disputationes etiam nunc, nam ex eis lux oritur. ² deest.



³ deest. ⁴ Ratio est haec. ⁵ inficiuntur. ⁶ Dicere possumus de Ecclesia, nostris diebus: « Mors et vita duello confluxere mirando ». ⁷ christianismi. ⁸ praesertim vero hodie, cum ipsa culturae christianae principia undique offensa cernimus. Haud mirum quidem huiusmodi discordiam et aberrationem extra ovile Christi semper viguisse... ». ⁹ Saul est alter Hagen. ¹⁰ deest. ¹¹ In praesenti condicione exegeta catholicus comparari potest illis viris peritis qui post immane bellum ingenia bellica periculosissima a parte detonante liberare debebant. Laborabant cum magno periculo vitae, quia unoquoque momento ab explodente ingenio occidi poterant. Sic exegeta catholicus. ¹² Materiam. ¹³ vel a sacris Romanis Dicasteriis vel a congressibus pastoralibus, catecheticis, iuridicis, quae doctrinam de fide et moribus non tangunt, tractandae sunt. Ad has quaestiones tractandas, per se, opus non est Concilii Oecumenici. ¹⁴ deest. ¹⁵ deest. ¹⁶ Nihil dicam de hoc miro modo considerandi theologiam pastoraalem, quia de his iam fuit sermo. Videamus utrum verum sit quod de Summo Pontifice dicitur. Documentum fundamentale de finalitate Concilii Oecumenici Vaticani II est Constitutio Apostolica recentissima *Humanae salutis Reparator* diei 25 decembris, Nativitatis Domini anni 1961, qua nos convocavit in Concilium Oecumenicum. Iamvero, quid nos intimat Pontifex? Postquam varios fructus Concilii indicaverit, inter quos unio christianorum separatorum in sinum Matris Ecclesiae, quae « impensiore studio flagrat fidem suam novis viribus roborandis », finem specificum Concilii, et quasi itinerarium determinat his verbis: « Sed quomodo fructus, quos tam vehementer ex Oecumenica Synodo exspectamus, de quibus saepe libenterque locuti sumus, postulant sane ut in hoc parandum magni momenti opus consilia, studia, labores impendantur. Proponuntur propterea quaestiones sive ad fidei doctrinam, sive ad actionem vitae spectantes; atque idcirco proponuntur ut christiana instituta et praecepta absolutissime cum multiformi vitae usu conveniant, et ad unitatem conducant Corporis Mystici Christi, eiusque sacri muneris, quod ad supremum ordinem pertinet. Haec omnia profecto attingunt divinas litteras, sacram traditionem, Ecclesiae sacramenta et preces, disciplinam morum, opera quibus caritas exercetur et consulitur egenis, laicorum apostolatam, missionalia incepta ». ¹⁷ deest. ¹⁸ Sit hic per transennam dictum Summum Pontificem loqui de iis quae attingunt « divinas litteras, sacram traditionem ». ¹⁹ deest. ²⁰ (*Matth.* 28, 20). ²¹ (*Io.* 14, 26). ²² Processus tamen hic, non ad modum illuminationis Sauli in Paulum fit, sed ad modum illius apostoli: « Filioli mei quos iterum parturio » (*Gal.* 4, 19). Haec concordia idearum et opinionum in essentialibus, duro, arduo et longo labore *Dei afflante Spiritu* in intellectibus et cordibus et linguis nostris producit, vi illius collectivae infallibilitatis qua gaudemus cum, a Romano Pontifice convocati in Concilium, de rebus doctrinalibus fidei et moribus decidimus, Pontifice duce.

Nostris temporibus Ecclesia magnis fluctibus agitur, ita ut mihi in mentem veniant verba illa Domini Nostri dicta in nocte qua tradebatur: « Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expectavit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 31 et 32). Sicut Paulus qui « post annos tres, inquit, veni Hierosolymam videre Petrum » ... « deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam... secundum revelationem... et contuli cum illis Evangelium quod praedico Gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem » (*Gal.* 1, 18; 2, 1-2), sic et nos Romae



sumus ad conferendum Evangelium nostrum cum Petro. Simon Petre hodierno, confirma fratres tuos.

F) Neque dicant exercitium magisterii conciliaris circa quaestiones fundamentales historicitatis Sacrae Scripturae christianos a sinu Ecclesiae Catholicae separatos deterrere. Ad hoc duo mihi respondendum videntur.

1. Fratres separati magni habent historicitatem plurimorum capitum Veteris Testamenti necnon totius Novi Testamenti. Si Ecclesia catholica permetteret hanc historicitatem impune a suis sacerdotibus et fidelibus negari, nunquam christianos istos ad se attraheret.

2. Fratres illi qui redibunt, ideo ad Ecclesiam catholicam venient quia in ea cupiunt invenire portum tranquillum doctrinae. Dolore maximo enim afficiuntur illa incertitudine et agitatione doctrinarum quae in pluribus Ecclesiis ad iurgia, bella et dissensiones duxerunt et ducunt. Pacem spiritus quaerunt in veritate catholica. Quomodo poterit catholica Ecclesia eos in sinum suum attrahere, si apud nos confusio idearum in rebus fundamentalibus speciem praebeat pelagi undis et ventis undique agitati?

G) Ultimo rationem liceat mihi adicere cur putem schema propositum esse adhibendum uti fundamentum discussionum et studiorum nostrorum. En ratio. Schema a praesidibus aliquarum commissionum episcoporum Europae, salva reverentia debita tam illustribus Patribus, mihi placere non potest. Plurimi episcopi qui ad has conferentias nullatenus pertinent illud prae manibus habent. Ego quoque illud recepi ab archiepiscopo non Europaeo, sed asiatico. Schema cum magna veneratione et debita cum attentione perlegi.

Salva reverentia et amicitia, iudicium meum fraterna et apostolica cum libertate pandam.

Est potius poema quam constitutio doctrinalis. Et quidem poema romanticum, ideoque nebulosum et obscurum. Confunditur, ut videtur, ordo naturalis et supernaturalis. Quaedam pantheismum redolent, quaedam sapiunt gnosticis, et tantummodo magno labore catholico sensu explicari possunt. Termini videntur sensum peculiarem habere, nobis ignotum, ita ut schema legens putet se prae manibus habere documentum fere hermeticum vel esotericum. Quaedam mihi in mentem revocaverunt ea quae in conferentiis Patris Teilhard de Chardin legi. Ita ut ad intellegendum et explicandum textum schematis novi, integrum librum hermeneuticum Concilium scribere deberet. Quod peius est, quaestionem vitalem actualissimam de historico valore S. Scripturae silet. Quare placere non potest.

En, venerabiles Patres, graves rationes quae me inducunt ad dicendum schema commissionis theologicae esse optimum et actuale, immo necessarium: schema autem substitutum quod diffusum est, non esse accipiendum.

In eo spiritu haec omnia quae dixi, accipite, venerabiles Patres, quo ea dixi, spiritu nempe Augustini dicentis: « In necessariis, unitas! In dubiis, libertas! In omnibus, caritas! ». Necessaria et fundamentalia, ad normam sensus Ecclesiae, doctrinae Patrum, analogiae fidei, sensus fidelium, tanquam custodes et testes depositi fidei decidamus. In reliquis, sub iisdem criteriis, non necessariis, sit libertas.

Praeses: Accedat nunc ad loquendum exc. mus Quarracino, qui non aderat, sed reversus est. Quoad interruptionem disceptationis, dicere liceat mihi quod haec interruptio vult dicere non amplius disputabitur de hoc schemate donec novum schema de eadem re proponatur.



7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS QUARRACINO
Episcopus S. Dominici Novem Iulii

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

*Forsitan nunc vox mea sonet extra chorum, sed tradam etiam vobis mentem meam. Adhaereo omnibus Patribus, quibus*¹ *schema hoc non placet. Rationes, scripto secretariae generali traditae, ne vestra abutar patientia, sic synthetice enucleantur: 1) Redolet tritam formam manualis scholae; 2) caret spiritu oecumenico et pastorali projectione; 3) claudit exegetis et theologis possibilitatem ulterius et fideliter penetrandi verbum Dei in historia salutis.*

Sed liceat nunc mihi breviter proponere, maxima cum reverentia *et humilitate*,² temperamentum quo forsitan ad felicem exitum huius « status quo » pervenire possimus, quem statum heri exc.mus Ancel, clarissimis verbis nobis patefecit. Nemo est qui non videat nullam ex extremis, ut ita dicam, positionibus maioritate suffragiorum gaudere posse. Neque meliorem putamus fortunam pro viis intermediis; nec inclusio novorum peritorum, *vel novarum commissionum*³ *viam solutionis pandet, quia esset, videtur*,⁴ *mera translatio huius interminabilis et difficilis discussionis.*

Liceat, igitur, mihi hoc proponere: edat tantummodo Concilium expositionem dogmatico-scripturasticam, « de fundamentali et privilegiato loco Sacrae Scripturae in Ecclesia », quae sit, natura sua biblica, patristica et liturgica, velut salutare praeconium hominibus hodiernis. Haec expositio continere posset, inter alia, haec tria:

1. Retineantur verba Tridentini et Vaticani I affirmantium fontem revelationis esse Evangelium, a prophetis in Scripturis Sanctis promissum, ab ipso Christo promulgatum, et ab apostolis omni creaturae praedicatum.

2. Proclametur necessitas ut sacerdotes et fideles magis magisque redeant ad contactum vitalem atque amore plenum cum verbo Dei in Scriptura Sancta.

3. Positive animentur labores eorum qui tempus, vires atque intelligentiam praebent profundiori ac difficili studio quaestionum biblicarum, simul *istis*⁵ *commendando et serietatem scientificam in investigatione et serenitatem ac prudentiam in expositione.*

Hoc quidem et vere dogmaticum et profunde pastorale et sincere



oecumenicum et bene menti Summi Pontificis exacte concordans⁶ fore puto. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ deest. ⁴ deest.
⁵ ipsis. ⁶ deest.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres Conciliares,

Adhaereo sententiae quae tenet schemata, nobis a Summo Pontifice proposita, esse statim particulari disceptationi subiicienda, ut emendantur, et, quatenus opus sit, in unum redigantur. Et adhaereo compromisso, hesternae die proposito ab exc.mo Ruotolo. Rationes ab aliis iam allatas non repetam.

Velim potius rationem aliquam iuridicam illustrare. Attamen post ea, quae subitaneo in hac aula mox evenerunt, anceps sum utrum adhuc superata sint necne.

1. Certum est unumquemque Patrem, iuxta art. 33 *Ordinis Concilii celebrandi*, posse verba facere de unoquoque schemate reiiciendo. Opinor tamen id minime praeiudicare particularem de schematibus ipsis disceptationem.

Etenim: a) Sicut approbatio, de qua in eodem art. 33, fit approbando per *Placet* unumquemque articulum, ita, a pari, ne dicam a fortiori, reprobatio fieri debet reprobando unumquemque articulum per *Non placet*; quod profecto praesupponit particularem disceptationem.

b) In art. 31 *Ordinis Concilii celebrandi* describitur et praescribitur iter examinis schematum, et indicantur varii gradus eiusdem examinis. Iamvero ibi omnino siletur de illo gradu, qui est approbatio vel reiectio praeliminaris totius schematis, globaliter sumpti, qui gradus omnino ponendus *esset*,¹ et quidem primo loco, quippe qui, cum sit praeiudicialis, inutilem reddat disceptationem particularem.

2. Art. 33 § 1 citati *Ordinis* omnino silet de reiectione praeliminari *totius* schematis. Iamvero silere non deberet, quia agitur de re valde momentosa ob consecutaria inde manantia. Ergo retinere debemus illam reiectionem schematum fieri posse nonnisi per reiectionem singulorum articulorum, ut quisque in suffragationem venerit.

3. In subordinata hypothesis, suffragatio de reiectione nonnisi hac formula fieri deberet: « An schema reiiciendum sit »; minime vero al-



tera formula: « An procedendum sit ad discussionem singulorum articulo- rum ». Ratio evidens est; schema enim, nobis a Summo Pontifice pro- positum, est in possessione, *iuridice loquor, est in possessione*,² quia provenit et proponitur disceptandum ab eo qui, iuxta can. 222, pote- statem unus habet res in Concilio tractandas ordinemque constituendi ac designandi. Ergo si quis vult ut de schemate non disceptetur, *scilicet ut reiciatur*,³ debet ipse invenire maioritatem absolutam suffragiorum pro sua sententia. Si non inveniat, ipso facto et ipso iure transeundum erit ad discussionem particularem.

Opportunum erit adnotare quod, si suffragatio proponeretur sub formula « An procedendum sit ad discussionem singulorum articulo- rum », meo iudicio procedura esset illegitima et suffragatio nulla, et quivis Pater quovis momento posset proponere querelam per modum exceptionis...⁴ coram tribunali administrativo Concilii, de quo in art. 8 *Ordinis*.

4 et ultimo. In extrema denique hypothesisi, si schema propositum reiiceretur, non eo ipso aliud schema substitutivum in disceptationem venire posset, quod prius non esset, ad normam art. 7...⁵ examini subiec- tum secretariatus de Concilii negotiis extraordinariis, immo, cum res id omnino postularet, ipsi Summo Pontifici delatum. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ erat. ² deest. ³ deest. ⁴ (can. 1892).
⁵ § 2 *Ordinis*.

Animadversiones additae:

Ex disceptatione hucusque habita in aula super duo priora schemata theolo- gica clarissime patet duas dari inter Patres oppositas sententias: prior sententia vult ut illa schemata discussioni subiiciantur statim, ut emendantur et approbentur; altera vero tenet duo schemata esse radicitus reicienda et unum novum schema con- ficiendum.

Priori sententiae adhaereo. At finis mei interventus non in eo est ut rationes iuridicas et theologicas iam ab aliis allatas repetam, aut novas, fortasse possibles, afferam in defensionem prioris sententiae. Neque id contendo ut singula argumenta alterius sententiae refellam, quod iam alii fecerunt et adhuc fortius ac stringentius, ni fallor, fieri potest. Id unum volo, ut, ni nimis praesumo, suggeram tamquam pos- sibile, immo et valde desiderandum, honorabile quoddam compromissum, quod suf- fragiorum unanimitatem, aut saltem illam obtineat maioritatem quae in re tanti momenti, etiam in oculis nostrorum fidelium et fratrum, necessaria videtur.

1. Conficiatur *prooemium*, quod praepnatur omnibus schematibus dogmaticis, immo, et forsan melius, toti materiae a Concilio elaborandae. Prooemium, meo qui- dem iudicio, deberet esse ampla quaedam, ne dicam « panoramica », et serena recapitulatio totius Divinae Oeconomiae salutis, scilicet sapientissimi et miseren- tissimi consilii Dei in universa historia humana (creatio, redemptio, Ecclesia, Sa- cramenta, eschatologia, etc.), et sollemnis affirmatio eius multiplicis praesentiae in

mundo. Hunc vero in finem plura desumi poterunt, quoad substantiam, ex illo novo schemate quod quasi furtim circumfertur ab asseclis alterius sententiae; praetermissa tamen terminologia quae nimis discrepat a communi loquendi modo magisterii ordinarii, quaeque nimis redolet particularem scholam vel potius « tendentiam ».

Huic prooemio, in qua Ecclesia catholica plus matris quam magistrae partes agit, profecto congruit character ac stylus ille pastoralis, positivus, oecumenicus, hodiernis auribus magis aptus, quem exigunt asseclae alterius sententiae. In hoc prooemio poterunt quidem et laudes, simul et cautelae proponi pro omnibus qui, in quovis campo, elucidandae Ecclesiae doctrinae, insudant.

Prooemium erit conficiendum vel a commissione mixta inter theologiam et pastoraalem, vel a commissione paritetica composita ex Patribus qui in aula utraeque sententiae defenderunt. Prooemium, ut est obvium, quam primum discussioni conciliari proponetur.

2. Dum prooemii confectioni adlaborabitur, fiat statim discussio particularis schematum nobis a Summo Pontifice propositorum. Iam superata dicenda erit difficultas quoad characterem ac stylum schematum. In subiecta materia, quae eminenter dogmatica est et quasdam particulares, ne dicam « technicas », quaestiones theologico-biblicas respicit, non dedecet Ecclesiam, partes magistrae potius quam matris agentem, loqui concinne, lapidarie, modo quasi frigido, positivo simul ac negativo, quemadmodum in rebus dogmaticis diiudicandis ac definiendis summo opere congruere experientia conciliorum praeteritorum docet.

Discussio de singulis articulis duorum priorum schematum haec non spernenda commoda mihi videtur habere:

a) in lucem ponet ea *plurima* quae omnibus placent, nec placere non possunt, cum sint fere ad verbum desumpta ex Tridentino, ex Vaticano I et ex documentis pontificiis a Leone XIII usque ad Pium XII. Neque dicat quisquam illa, ob allatam rationem, inutilia esse; nam utiliter a Concilio repetuntur quae a quibusdam theologis ac exegetis catholicis in oblivionem fere amandata sunt, et documentis magisterii ordinarii Concilium maiorem vim addet non solum per formalem definitionem, sed etiam per sollemniorum propositionem;

b) in lucem ponet ea, meo quidem iudicio *pauciora*, puncta quae sunt pomum discordiae inter oppositas sententias. Etenim ex discussione generali audivimus querelas et anxietates — profecto omnes ex sincera intentione — quae Patres hinc inde praeoccupant: ex una parte timetur ne extenuetur vis et valor inspirationis, inerrantiae, et veritatis historicae S. Scripturae, praesertim evangeliorum; ex altera timetur ne aliqua definitio ex parte Concilii totam exegesim mortificet ac iniuste libertatem exegetis in suis laboribus adimat.

De facto, Deo favente, res non ita se habent. Ex particulari discussione circa puncta controversa, Patres audire poterunt rationes pro et contra, eas perpendere, invenire formulam quae, uti speratur, salva integra veritate doctrinae catholicae, anxietates hinc inde tollat. Quod si hanc formulam invenire non poterunt, Patres, cognita causa et praesertim Spiritu Sancto illuminante, decisionem sument in alterutro sensu, aut rem, utpote immaturam, definiendam different.

His expositis, em.mo consilio praesidentiae audeo proponere:

1. ut mandatum det pro conficiendo prooemio in sensu supra allato;
2. simulque declaret clausam discussionem generalem super priora duo schemata dogmatica, et incipiat discussionem particularem.



9

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Cum innumera iam dicta sint, multa relinquam et tradam secretario. Aliqua tamen pauca vellem dicere.

*Relate ad errores iam optima dicta sunt.*¹ 5. Ceterum triplici modo errores possunt compesci: directe, cum damnatione aut reprobatione formali; indirecte, tum negative, admonendo scilicet fideles ut ab iisdem caveant; tum positive, in *nova et clariore luce*² ponendo doctrinam catholicam, quae ipsis erroribus adversatur.

Aliud est opportunam methodum ad errores repellendos invenire et exquirere, aliud est errores dissimulare. Apti media seligere prudentis est; nihil dicere, contra munus pastorale est.

Pastoralis muneris in primis et ante omnia est: fideles ab erroribus et periculis in fide immunes servare; illos firmare in fide catholica; deinde ipsum hoc apostolicum munus se extendit ad oves ceteras, ad unicum ovile revocandas vel vocandas...³

6. Cur timeamus, venerabiles Patres, quali ratione pastorali vel oecumenica non debeamus in Concilio christifideles de erroneis opinionibus praemonere, aut in memoriam solemniter revocare certa et inconcussa principia semper in Ecclesia tradita et inculcata, ex. gr. de inspiratione, de inerrantia S. Scripturae, ...⁴ de historica veritate Evangeliorum et aliorum librorum?

7. Nec per clarificationem veritatis, aut immutabilitatem doctrinae in fundamentalibus principiis, impeditur studiosis continuare scientificas investigationes praesertim quoad immensam provinciam de re biblica; quae inquisitiones valde fructuosae extitisse comprobantur et tantam attulerunt lucem, praesertim recentiori aetate, ad plenioram intelligentiam Sacrae Scripturae. Sed laudabilia studia investigationis scientificae et iustae, immo et necessariae libertatis exigentia nequeunt veritatem ab Ecclesiae magisterio, sive ordinario, sive extraordinario iam propositas labefactare, vel in dubium, aut examen rursus revocare...⁵

*Et pergo ad conclusionem.*⁶ Quia verum praecipuum dissensionis punctum, in hac conciliari aula, versatur circa formulationem doctrinae *de revelatione*, quaerere velim an omnino impossibile sit certam basim, communi consensione, invenire et retinere, super quam proficua et constructiva discussio cito institui possit de particularibus punctis quaestio-



nis: an retinenda, an emendanda, an ad maturiora tempora quaedam differenda sint, ut adinveniatur aliqua concreta et acceptabilis ab omnibus solutionis via, prouti omnium Patrum enixe in votis est. Quid ex mea humili parte in re tam gravi proponere audeam? *Haec sunt:*⁷

Revelatio divina una est et perenniter vivens, quae centrum et culmen habet Iesum Christum Salvatorem mundi. In hoc omnes nos aperte et unanimi voce consentimus.

Cum vero multis non placeat denominatio scholastica *de fontibus revelationis*, ...⁸ eo minus de *duplici distincto* fonte, auferatur a constitutione ista denominatio, multis ingrata. Et sermo fiat *de unica divina revelatione* in Christi doctrina et opere perfecta, per *duos rivulos seu tramites* ad nos perveniens, *prouti edixit em. mus card. Frings.*⁹

Ubi vero de Scriptura agitur, necessaria et fundamentalia principia definiantur vel saltem declarentur; cetera quae nondum matura existimantur, remittantur ad Concilium Vaticanum III... forsan discutienda. Ita, mutatis vocabulis et servata veritate, sub hac concordia basi, possemus cito de singulis capitulis schematis examen instituire. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Circa propositum constitutionis schema, post ea multa quae dicta sunt, haec proferre liceat.

1. Schema ipsum, etsi laudibus a multis Patribus cumulatum, ob suam claritatem, perspicuitatem et opportunitatem, potest adhuc perfici in generali suo prospectu, et in eius partibus, potest corrigi, emendari, ampliari vel decurtari, iuxta placita Patrum.

Attamen non videtur sufficiens ratio ut schema ipsum tamquam basis discussionis non admittatur.

Etenim *quoad substantiam* omnes conveniunt, ut audivimus, doctrinam ibi enunciatam *vel* de fide esse, *vel* communiter per magisterium Ecclesiae doceri.

Ergo, uti etiam in hac aula audivimus, quaestio est de *modo* seu *methodo* doctrinam, aliunde ad omnibus admissam, proponendi. Hinc modus schematis sat aptus videtur quamvis, theorice, meliorem quis certe adinvenire possit.

2. Ad rem tanti momenti, semper prae mente habendum est: constitutionem Concilii non esse simplex catechismi promptuarium, sed propositionem doctrinalem claram et solidam, quae fit fons et norma pro catechesi, praedicatione, et institutionibus cuiusque generis.

Theologia habet sua vocabula «technica», sicut habent omnes scientiae, et hac ratione, aequivocationes vitantur, et praebet fundamentum ad ulteriora studia et ad progressum in cognitione doctrinae revelatae.

3. Ipsa ratio proponendae veritatis in schemate, videtur esse eminenter *pastoralis*.

Pastores enim anxietatibus premuntur ob confusionem idearum quae ortae sunt novissimis temporibus, *non a severis ac vere scientificis studiis*, sed arbitrariis deductionibus aliquorum, qui haud pauca in Evangeliiis enarrata, levi calamo negant, in dubium revocant; facta, sermones et miracula Christi Domini adeo extenuant ut eorum historica veritas non parum labefactetur.



4. Hinc contra abusus et pericula, quaedam fidei principia revocare non nocet, imo expedit. Quaedam quae a theologis catholicis imo et ab ordinario Ecclesiae magisterio, a saeculis communiter docentur, in constitutione referre perutile et necessarium videtur, cum pericula, non pauca, realiter existant, quae pastores ignorare aut velo tegere nequeunt. ² novam et clariorem lucem. ³ Idem Christus Dominus ad ovem deperditam revocandam iter instituit, postquam in tuta securitate nonaginta novem constituerat (cf. *Io.* 10 et *Mt.* 18, 12). ⁴ (omnibus argumentis praetermissis quae adhuc disputari possent). ⁵ 8. Viri docti munus habent: *a)* illustrandi etiam novis studiis quae iam definita sunt; et habetur progressus fidelis in fide; *b)* libere inquirendi, examinandi, disceptandi, quae ab Ecclesiae magisterio infallibili definita non sunt, prudentia semper adhibita; *c)* novas inquisitiones instituere, firmis tamen et intactis iis quae iam de fide sunt aut ab Ecclesiae magisterio clare inculcata sunt. 9. Saepe invocatur character pastoralis Concilii. Sunt decem capita rerum tractandarum in Concilio. Multa de catechetica institutione, de modo populis enucleandi fidem, tradentur postea, et de his disceptabitur cum agendum erit praesertim de cura animarum, et de modo congregandi cum fratribus nostris christianis. Ibi de methodo catechetica, de praedicatione etc. sermo erit; hic vero expostulatur clara, simplici, perspicua enuntiatione quarundam veritatum fidei, principiorum fundamentalium de ipsa divina revelatione. ⁶ 10. ⁷ deest. ⁸ (inde advenientibus). ⁹ deest.

10

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ

*Magister generalis O. P.**Venerabiles Patres,*

Post decisionem consilii praesidentiae nihil dicam de quibusdam quae volebam dicere circa liceitatem, necessitatem et possibilitatem totalis reiectionis schematis *de fontibus revelationis*. Pauca dicam de characterem pastoralis et oecumenico in Concilio.

Ratio est cur omnes iucundemur de intentu et conamine omnium Patrum Conciliarium, illorum scilicet quibus schema non placuit, atque illorum quibus placet, in conficiendo schemate indolis pastoralis. Hoc enim omnes, pastores cum simus, in visceribus habemus.

At unanimitas evanescit cum de explicatione et applicatione verbi « pastorale » agitur. Crediderim rem esse magni momenti. Et vellem in memoriam iterum revocare conceptus hic ab em.mo card. Santos eleganti sermone explicatos.

1. Verbum « pastorale » adiectivum est. Et nec intelligi nec explicari potest nisi per ordinem ad substantivum. Substantivum ergo hoc in casu duplex agnoscitur, et ne unum pro alio sumatur oportet; *a)* vel agi-



tur de substantivo, quod est pascua et cibus; *b*) vel agitur de substantivo, quod est methodus administrandi cibum et pascua.

2. Iamvero munus pastorale Concilii principaliter ad substantivum, quod est pascua vel cibus, refertur. Concilium enim veritatem tuetur, veritatem proponit. Veritas clara, perspicua, est id quod ab ipso spectatur.

Munus pastorale uniuscuiusque nostrum, principaliter, ad substantivum refertur, quod est methodus. Pastorum est doctrinam conciliarem, cibum sanum, omnibus ministrare attentibus conditionibus loci, temporis et personae. Rudis, rude; sapienter, sapientibus. Gaudiose et iucunde si ita expedit in casu. Cordialiter vel conceptualiter prout in adiunctis videatur. Fratribus separatis ad modum dialogi et verbis magnae comprehensionis et benevolentiae. In Concilio, modo conciliari.

Doctrina conciliaris, non est doctrina unius diei nec proposita hominibus unius aetatis tantum, melius exprimitur verbis, quae sapiunt diurnitatem, quam verbis quae mane florescunt et ad vesperum evanescent.

Stylus pastoralis saepe ordinatur potius ad sensus excitandos quam ad argumenta vel veritatem afferenda, quod proprium Concilii minime est. Sine dubio munus principale Concilii est docere, exponere veritatem claram, genuinam, et ad tale sublime munus obtinendum debemus procedere animo puro et magnanimo, nulli factioni addicto, eligendo semper illas formulas et verba quae sint aptiora ad veritatem docendam et exprimendam, sive sint pastoralia, sive oecumenica sive scholastica. A priori non debemus excludere absolute nullam methodum et nulla verba. In singulis casibus debemus eligere quae sint meliora absque ullo timore vel praeiudicio. Mihi valde placet ut in Concilio prae oculis habeamus indolem pastorem et oecumenicam et quatenus sit possibilis, hunc characterem imprimamus; sed non debemus exaggerare quia exaggerationes provocant reactiones contrarias. Non ita debemus indolem pastorem quaerere ut sit obtinenda etiam cum detrimento veritatis. Unde si inter duas formulas, una magis pastoralis sed minus clara et exacta et alia minus pastoralis sed magis clara et exacta, sine dubio in Concilio haec secunda est praeferenda. In praxi pastorali eligatur prima; in munere pastorali saepe est sacrificandus modus exactus et proprius et accuratus ut veritas exponatur modo intelligibili captui fidelium. In his omnibus sit summa libertas cum caritate et summa caritas cum libertate. Dixi.

Textus scripto traditus:

In gravissimis rebus quae disputantur, duae quaestiones sunt clare distinguendae:

1. Utrum ante omnia liceat Patribus Conciliaribus totum schema *de fontibus revelationis*, sive placeat sive non, sine discussione per singulas partes totum reiicere et aliud in suo loco ponere in Concilio discutiendo?

Responsio negativa pro me est evidentissima. Hoc non est licitum nec necessarium, nec possibile. Non licitum quia tempus Concilii praeparationis iam finitum est et hoc est schema quod SS. Dominus noster Ioannes Papa XXIII statuere dignatus est in Concilio Vaticano II discutiendo et ad Patres Conciliares mittendo. Unde sine consensu Summi Pontificis nobis licitum non est illud reiicere ut in discussione per aliud substituat.

Non est necessarium quia si non placet ex parte vel ex toto, possumus partialiter vel substantialiter mutare ut postea dicam.

Non est possibile nisi schema *de fontibus revelationis* tempore indefinito differtur, quia si schema actuale reiicimus non credo quod nemo audeat statim aliud, neque a Patribus neque a Summo Pontifice cognito proponere loco illius reiecti. Ergo si actuale reiicitur, tractatio et disputatio *de fontibus revelationis* tempore indefinito differenda est.

2. Utrum liceat schema nobis propositum non solum accidentaliter sed substantialiter vel quasi totaliter post discussionem mutare.

Responsio etiam est affirmativa. Non est nobis licitum schema actuale sine discussione illud reiicere, sed nobis licitum est illud totum discutere et omnia quae in eo continentur partialiter vel accidentaliter tantum mutare vel etiam substantialiter et quasi totaliter, si Patribus post discussionem singularum partium ita placuerit. Ratio est quia Summus Pontifex nobis illud non ut totum vel partem approbemus, sed ut sit fundamentum discussionis et post eam approbemus vel reiiciamus ut nobis et Spiritui Sancto visum sit. Unde cuique licet dicere si placet vel non placet totaliter vel ex parte mutare totaliter vel ex parte mutetur vel reiiciatur.

De fine pastoralis Concilii.

Mihi videtur etiam necessarium aliquid dicere de fine pastoralis Concilii. Mihi valde placet ut Patres Conciliares semper prae oculis fines et necessitates pastorales habeamus et modo specialissimo in hoc Concilio et etiam in hoc schemate *de fontibus revelationis*. Tamen finis principalis Concilii, saltem in hoc schemate, nullo potest esse pastoralis, nisi per munus pastoralis intelligatur quodlibet munus docendi doctrinam revelatam. Sed tunc iam non est quaestio et iam dici non potest ut talis indoles pastoralis non sit in schemate etsi modo scholastico expositum sit.

Si autem verbum pastorale intelligitur in suo sensu proprio et stricto, quod ego non volo nec possum hic definire, tunc sine dubio finis principalis Concilii est exponere, animo sereno et mente tranquilla cum claritate et sollicitudine et exactitudine veritatem catholicam ab omnibus tenendam. Et ad hoc debet adhibere illa verba quae ad talem finem sint aptiora sive sint pastoralia sive non. Certo, si sine damno claritatis et exactitudinis veritatis indoles expositionis esse eminenter pastoralis non est possibilis, sine detrimento claritatis et exactitudinis veritatis minime est eligenda.

Unde inter duas formulas quarum una sit magis pastoralis sed minus exacta et clara et solida et alia sit minus pastoralis, sed magis clara et exacta et solida, sine dubio in Concilio haec secunda est praefenda. In pastoralia vero est praefe-



renda secunda quia facile intelligitur quod rigor exactitudinis sacrificandus est saepe cum ad fideles loquimur.

Hic locutum fuit de munere iudicis et de munere pastoris in Concilio, sed est etiam aliud munus, nempe muneris magistri, et hoc munus est magis proprium Concilii.

De mentalitate hodierna.

Non est necessarium dicere quod modus expositionis veritatis sive in loquendo sive in scribendo debet variari et accommodari ad homines ad quos dirigatur. Et hoc est munus pastoris. Forsan hodie non difficilius quam fuit pro antiquioribus pastoribus.

Mentalitas hodierna non est magis remota ab expositione scholastica quam mentalitas hominis qui in America et Oceania pastores missionarii debeant in saeculis praeteritis evangelizare. Et hi pastores non habuerunt difficultatem vel si habuerunt consecuti sunt eam superare ad veritatem christianam talibus hominibus exponendam, et hoc fecerunt cum tanto fructu in totam Americam et Oceaniam ad fidem conversi sunt.

Animadversiones additae:

Observationes ad cap. I de fontibus revelationis.

Par. 1 cap. I mihi apparet valde deficiens eo quod relate ad revelationem quasi in eodem gradu ponit Iesum Christum cum prophetis et apostolis. Nullum est dubium auctorem bene cognoscere differentiam maximam inter Christum et alios. Sed dolendum est quod talis supereminentia Christi non clare in textu appareat. Verum est quod communiter in oblivione tenetur. Sed mihi placeret ut in hoc capite clare appareret.

Haec supereminentia Christi in duobus principaliter mihi videtur consistere:

1. Est evidens quod Christus, cum nobis aliqua manifestat per verba seu loquendo, non eodem modo se habet ac prophetae et apostoli, quia, cum sit Deus, loquitur auctoritate et infallibilitate propria et revelationem sumit ex propriis.

2. Secundum, et quidem principaliter, in quo supereminet Christus, est quod ipsa Verbi Incarnatio est suprema Dei revelatio. Per Incarnationem Verbum quod erat in principio apud Deum et erat Deus, sed invisibilis, intangibilis, quasi, factus est homo visibilis, tangibilis, quasi Unigenitus a Patre. Itaque ipse Iesus Christus Deus et homo, est prima et suprema revelatio divina. Omnia in illo, facta et verba, sunt revelationes divinae. Videndo Christum Iesum, videmus Deum et audiendo Christum Iesum, audimus Deum.

Et S. Thomas optime hanc doctrinam exponit et confirmat: « Christus, ait, per Humanitatem suam voluit manifestare Divinitatem. Et ideo, conversando cum hominibus, quod est proprium hominis, manifestavit omnibus suam Divinitatem, praedicando et miracula faciendo et innocenter et iuste inter homines conversando » (*S. Theol.* III, 40, I ad 1), et ibidem ad 3: « actio Christi fuit nostra instructio ».

Tota ergo vita Christi est revelatio divina. Hanc conditionem specialissimam suae naturae ipse Dominus apertissime et diversimode nos declarat, e. g.: « Qui videt me videt et Patrem meum » (*Io.* 14, 10), « Ego sum via, veritas et vita », « Nemo vadit ad Patrem nisi per me » (*Io.* 17, 25), « Audistis quia dictum est antiquis... sed ego dico vobis »... Ego, non solum tamquam Deus, sed Ego Deus homo, Ego Iesus Christus, Verbum Dei factum homo, « Pater est in me



et ego in Patre » (*Io.* 10, 14; 15, 28), « Omnia quae habet Pater mea sunt » (*ib.* 16, 15).

Hanc sublimem revelationem optime et maximo cum gaudio discipulus praedilectus exponit in prooemio sui Evangelii et in prooemio suae primae epistolae: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo. Et haec scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum » (1 *Io.* 1, 1-4).

Haec infinita excellentia Christi relate ad alios, clarius apparet si illum comparemus cum aliquo possibili angelo a Deo misso et homine facto, si possibile esset. Hic angelus etiamsi esset angelus-homo loqui non poterat ex propriis, neque cum auctoritate propria, et, quod principaliter est, eius humana facta et vita non essent Revelatio Dei.

Et hanc eminentem conditionem Christus etiam conservat non solum relate ad eos qui suo tempore vixerunt et cum eo conversari potuerunt, sed etiam relate ad omnes homines cuiuslibet temporis et loci, quia in ipsa vita divina-humana Christi in Evangeliiis narrata et mentibus nostris, quae sine imagine sensibili naturaliter nihil cognoscere possunt, accommodata, principaliter Deum videmus. Unde pro omnibus Filius Dei factus homo est Suprema Revelatio.

Revelatio per apostolos et prophetas facta etiam est divina et Deum habet ut auctorem, sed modo omnino diverso.

Itaque in lin. 8, pag. 9, haec addantur: Per Filium autem quia, cum sit Deus, nobis loquebatur ex propriis quae ipse cognoscebat et auctoritate et infallibilitate propria; et praesertim quia ipse Filius Dei homo factus (*Io.* 1, 14) in terris visus est et cum hominibus conversatus (*Baruch.* 3, 17) ac per omnia nobis similis factus, excepto peccato (*Heb.* 2, 17), tota vita, passione et morte sua et resurrectione, saluberrimum nobis reliquit exemplum ut sequamur vestigia eius (1 *Pet.* 2, 24), atque perenne documentum nobis tradidit divinae veritatis salvificae. Itaque Iesus Christus per suam Incarnationem est suprema revelatio, quatenus Ipsum Verbum invisibile quod erat apud Deum et erat Deus, factum est homo visibilis et tangibilis quasi Unigenitus a Patre, plenus gratiae et veritatis. Unde videndo Christum, videmus Deum et audiendo Christum, audimus Deum. Omnia ergo in illo, verba et facta, sunt revelationes Dei.

Hanc specialissimam conditionem suae naturae et suae missionis qua infinite superexcedit alios omnes, per quos nobis transmissa est Divina Revelatio, optime exprimitur in prooemio Evangelii S. Ioannis et ipsemet Christus saepe nobis declarat: e. g. « Qui videt me, videt et Patrem meum » (*Io.* 14, 10), « Ego sum via, veritas et vita », « Audistis quia dictum est antiquis... sed ego dico vobis... » (*Matth.* 5, 18, 22), « Pater est in me et ego in Patre » (*Io.* 16, 15).

De duobus fontibus revelationis.

Par. 4, pag. 10, vel in alia paragrapho, sequentia mihi exponere placet.

Christus veritatem docuit verbo et exemplo (coepit facere et docere, *Act.* 1, 1), non litteris. Tanta enim est excellentia doctrinae eius, ait S. Thomas, quod « litteris comprehendi non potest » (*Summa Theol.* III, 42, 40).

In Novo ergo Testamento Revelatio facta est primo e principaliter per verba,



deinde per litteras. Itaque traditio oralis divinae Revelationis primatum tenet, non solum temporis et amplitudinis, quia non omnia ore tenus tradita et praedicata fuerunt litteris consignata. Plures namque apostoli praedicaverunt quam scripserunt; et illimet qui scripserunt, plus et plura praedicaverunt quam scriptis traderunt.

Unus est fons revelationis divinae, scilicet Verbum Dei; et duo rivuli vel modi, quibus ad nos usque pervenit: verbo orali et verbo scripto, sive viva voce et scriptura.

11

Exc.MUS P. D. IULIUS BARBETTA

Episcopus tit. Pharanitanus

Venerabiles Patres,

Nolite timere; breviter loquar. Satis cognitum est nos, agentes de rebus biblicis, versari in materia quae hodie etiam in hac Urbe facile ita provocet animi excitationem ut iam perdat debitum aequilibrium. Quare abstinendum ab omni exaggeratione.

Facile dicitur hoc schema sequi scholam aliquam determinatam. Quod si autem videmus membra et consultores antiquae commissionis theologicae, hoc videtur iam a priori impossibile. Et haec impossibilitas adhuc clarius apparet, si audimus quomodo hoc schema in multis sit correptum ob animadversiones in commissione centrali factas.

Nemo est qui ignoret non solum esse qui rigiditatem et severitatem huius schematis vituperent, sed etiam esse qui in capp. IV et V huius constitutionis inveniant amplam portam aperiri exegetis et amplam fiduciam poni in progressu exegetico. Talis autem annotatio necessario excitat spem; nempe, hoc schemate, novo in historia Conciliorum, initum esse viam tutam mediam.

Quomodo tandem stare potest accusatio partialitatis, ut aiunt, si ex alia parte asseritur in hoc schemate non adesse nisi communia quae inveniuntur in manualibus?

Iam saepius audivimus minus placere titulum de duobus fontibus. Estne reapse res tanti momenti? Si volumus reservare vocem « fontis » ipsi Deo, faciamus; et dicamus Deum sese duplici modo manifestasse et illam revelationem duplici modo ad nos pervenire. Fieri autem potest ut quaerentes novum dicendi modum, experiamur modum dicendi qui nunc est in schemate etiam sua habere commoda. Quod autem attinet ad doctrinam de veritatibus non contentis in Sacra Scriptura, quis catholicus est qui de hac veritate dubitare possit? Nam praeter constitutionem canonis Sacrae Scripturae quam non habemus completam nisi in



Traditione, doctrina catholica absolute certa est, v. g. Iudaeum et paganum valide conferre posse baptismum ideoque alios dare gratiam sanctificantem et incorporare Ecclesiae quae est Corpus Christi. Item quod episcopus publicus apostata etiam malae fidei possit vere conficere Corpus Christi et valide consecrare sacerdotes. S. Augustinus ea frustra quaesivit in Sacra Scriptura et nos cum eo. Et si talia volumus deducere ex Sacris Litteris, nos frustra conamur. « Multa — ita S. Augustinus — quae non inveniuntur in litteris eorum (id est apostolorum) neque in Conciliis posteriorum et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis (apostolis) tradita et commendata dicuntur » (*De Baptismo*, cap. II, a versiculo 7 usque ad 12...¹). Et haec sufficiant: si schema defectibus laboret, corrigentur. Igitur, in suo complexu schema placet.

In textu scripto tradito: ¹ Ench. Patrum n. 1623.

12

EXC.MUS P. D. IOANNES FERRO
Archiepiscopus Reginensis

Venerabiles Patres,

*Mentem meam, adhuc post ea quae hac mane evenerunt, cum fiducia vobis pando.*¹

Hoc schema, nonnullis additis emendationibus, adprobandum censeo, cum prooemio apte confecto in quo fusius exprimantur ardentia vota pastorum Ecclesiae pro omnibus hominibus.

Veritates autem quae in eodem schemate amplissimo coetui Patrum conciliarium perpendendae proponuntur, hisce nostris diebus, tot grassantibus erroribus, alte solemniterque declarandae erunt ac praedicandae super tecta, ne « erubescere Evangelium » videamur. Etenim, doctrinam de Dei revelatione explicite profiteri ac docere tenemur, ut in « Sancta Sanctorum » supernaturalis templi, non manufacti, mysterii salutis per Christum et cum Christo summa, qua par est, pietate ac sacerdotali integritate ingrediamur omnesque homines, veritatis immutabilis vitaeque aeternae fame pereuntes, fideliter adducamus.

Nulla *hac*² pastoralis missio nobis urgentior, uti vobis compertum est. Omnibus enim, « sapientibus ac insipientibus », iis qui prope sunt et iis qui longe, debitores sumus. Nam pastorale nostrum officium est



mentes hominum imprimis ad veritatis pascua sollicita assiduaque caritate adducere.

In hoc est veri nominis nota pastoralis ut veritas summe diligatur quae a Deo est et ad Deum ducit, et oves diligentur, quae pastoribus pascendae a Deo commissae sunt. At quomodo pascendae nisi solida doctrina veritatis?

Mundo materiae carnisque servituti obnoxio ac superbiae vitae, omnem Dei veritatem integre testari ac docere debemus, ut pastorum munere digne ac fideliter fungamur in Ecclesia: omnem Dei veritatem, inquam, quam e duplici fonte revelationis ad omnium salutem promanare semper docuit Ecclesia...³

Qua deficiente, nullum exstat pastoralis muneris obiectum, nullum liturgicorum rituum fundamentum, nullum ecclesiasticae hierarchiae regimen, ...⁴ nullum missionum ad longinquos populos ius, nullus divinarum humanarumque legum locus, nullum tandem universalis caritatis fulcrum, siquidem « fides est quae per caritatem operatur »...⁵

Meminisse iuvabit, venerabiles Patres, quod scite et luculenter docuit Summus Pontifex, feliciter regnans, inde a suis primis Encyclicis Litteris *Ad Petri Cathedram*, concinne affirmando omnimodum primatum veritatis, cum, neglecta vel postposita veritate, neque unitas neque pax hominibus umquam adesse possit, uti pressius quidem in recentioribus Litteris *Aeterna Dei Sapientia* idem Summus Pontifex declaravit.

Si quis de opportunitate tempori parcendi quaestionem moveat, reperire fortasse poterit quaestiones minoris momenti quae postea penitus determinantur a peritorum commissionibus, aut implicita relinquuntur, postquam necessaria certaue principia fidei et morum « in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia » firmiter, perspicue, integre ab hoc Sacro Concilio proposita sint.

*Forsan*⁶ dicat aliquis: de religiosis veritatibus parce agamus, ne quidam forte recedant, illud obiicientes: « durus est hic sermo »; vel, cum opus pacis suppeditare debeamus, cavendae controversiae...⁷ Sed hoc, venerabiles Patres, minime convenire videtur gravitati ac sanctitati huius sacerdotalis oecumenici coetus eiusque sacri magisterii. Pius XII, veneratissimae memoriae, in Encyclicis Litteris *Humani Generis* huiusmodi irenismum fortiter damnavit. Etenim, si cum errantibus maxima caritas semper est adhibenda, errores tamen omnino reiciendi sunt a pastore qui sincere oves diligit.

Mirabili sane consensu omnium Patrum arctissimo caritatis vinculo inter se cum Christi vicario coniunctorum, indoles, seu nota oecumenica, huius Sacrosancti Concilii iure meritoque urgetur ad unitatem promovendam christianorum, quos ardentissimo amore complectimur omnes.



*Sed huius unitatis nullum firmum dari potest fundamentum in caritate cum veritatis detrimento.*⁸

Sunt quaedam nova schemata quae circumferuntur; ea potius pia sunt meditationes de salute omnium hominum, subtiliores et difficiliores intellectu, apologeticam methodum et oratoriam abundantiam redolent, non autem sobriam ac densam temperiem, quae una ecclesiastici universalis magisterii auctoritatem et maiestatem deceat. Mystici enim affectus secundum temporum locorumque discrimina multoties variantur, immo et subiectiva cuiusque indole in oppositas partes trahi possunt, veritas autem Domini manet in aeternum.

Venerabiles Patres, servitio Dei mancipati ad dandam scientiam salutis plebi eius, animo ne deficiamus, sed totis viribus incumbamus ad schemata constitutionis perfectiora reddenda, ut veritas fulgentiore luce clarescat omnibus hominibus.

En, ad hoc, oratio fit pro nobis ab universa Christi Ecclesia ut, Deo adiuvente atque per nos loquente, qui humillime cum Petro et sub Petro pro Christo legatione fungimur, pretiosissimum doctrinae depositum fideliter custodiamus, splendidius in dies per saecula integrum praedicandum omnibus creaturis. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ in Concilio Tridentino et Vaticano I. ⁴ nullum regale sacerdotium. ⁵ (Gal. 5, 6). ⁶ Neque. ⁷ cum eis qui non credunt. ⁸ deest.

13

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIC
Episcopus Spalatensis et Macarscensis.

Em.mi Principes, Fratres carissimi,

Spero me defendere vivum schema, non mortuum! ¹ Schema etenim ² propositum placet mihi iuxta modum, id est cum correctionibus et additionibus necessariis ad inveniendam mediam viam qua omnes tuto et libenter procedere possimus, sed salvis remanentibus substantia et stylo schematis.

1. Dictum est non esse opportunum hodie, ob rationes oecumenicas, reprobare explicite errores, sed sufficere positive exponere, modo aliquo pastoralis, veritates in schematibus conciliaribus. Audivimus quoque hisce ultimis temporibus *exstare* ³ psychologiam methodum dialogi oecumenici...⁴ Mihi tamen videtur, submisso loquendo, in obiectionibus quae



fiunt nomine istius oecumenismi pastoralis latere *quamdam*⁵ aequivocationem.

Haec aequivocatio consistit in eo quod hoc Concilium non est Concilium unionis, sed Concilium internae nostrae reformationis, quae constituere deberet praeambulum cuiusdam futuri Concilii unionis, in quo convocandi essent fratres separati cum libertate loquendi. In tali Concilio nos deberemus uti methodo dialogi oecumenici, moderate tamen; non autem in hoc Concilio, in quo *colloquimur imprimis cum nostris fidelibus*.⁶ Ast sapientis est non solum « functionarii », *uti dicunt*,⁷ sed et patris et matris errores filiis clare indicare, ne decipiantur et in laqueum incidant diaboli. Si *ergo*⁸ quidam de facto, proh dolor!, auctoritati magisterii ordinarii Ecclesiae plene non *videntur subiici*,⁹ summa auctoritas in Ecclesia, i. e. Concilium Oecumenicum, tandem aliquando finem ponere debet, in veritate quidem et caritate, erroribus qui certo, non dubie, errores sunt. Hoc praecipue oves nostrae tamquam a suis bonis pastoribus magno cum angore animi a nobis expostulant.

2. Dictum est quoque magis opportunum esse, pro catholicis qui sub ditione materialismi dialectici vivunt, dare ipsis sanam doctrinam sine reprobatione errorum. Sed mihi videtur maxime necessarium praecise pro istis fidelibus, quorum fides quotidie in magnis difficultatibus versatur, non solum doctrinam sanam et integram dare, sed et indicare errores ut sciant quas veritates profiteri debeant, quosque errores fugere etiam cum periculo vitae. Nam in illis regionibus, Fratres carissimi, et fidelibus et sacerdotibus imminet magnum periculum cadendi in sinum sic dictae Ecclesiae patrioticae seu popularis, quae seminarium est errorum; quod quibusdam Ecclesiis iam acciderat in maiori vel minori gradu.

Dictum est alienum esse schema a mentalitate theologiae orientalis, ...¹⁰ *sed hoc non esse verum censeo*.¹¹ Septem illa nempe Sacratissima Concilia quae in Oriente celebrata sunt, condemnabant errores illorum temporum et quidem fortissimis verbis.

Ob brevitatem adduco exemplum tantummodo Concilii III Constantinopolitani, qui condemnaverat errores Sergii, patriarchae Constantinopolitani, de unica operatione et voluntate Christi. Immo istud Concilium reprobavit silentium Papae Honorii qui in epistola ad eundem Sergium scripserat: « Nobis non esse curandum de una vel duabus voluntatibus vel operationibus in Christo; relinquamus hoc grammaticis. Nos autem praedicemus quod certum est, i. e. duas in Christo esse naturas ».

Utrum ergo nos quoque nostris « grammaticis » relinquere debemus dirimendos errores de S. Gabriele annunciante Mariae, errores de Evangelio Infantiae, de Traditione, de inerrantia et inspiratione Sacrae Scripturae, de munere magisterii ordinarii Ecclesiae authentice interpretandi

Sacram Scripturam, etc., ac si nos essemus Ecclesia discens non vero docens, *vel ac si pertineamus nos ipsi ad Ecclesiam silentii*^{12?} ...¹⁸

Quoad ameliorationes, propono ut conficiatur prooemium pastorale a commissione quadam composita, in sinu commissionis conciliaris de fide et moribus, ab illustrissimis viris qui opponuntur schemati ...¹⁴ nobis proposito, et ab aliis qui illi favent. Aliae correctiones vel additiones occasione discussionum de singulis capitibus scripto vel oraliter proponi poterunt. Nam omne opus humanum imperfectum est, et impossibile est omnibus placere in hac lacrimarum valle. Gratias!

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² nobis. ³ excogitatam esse. ⁴ quem Patres occasione suffragationis prae oculis habere deberent. Certe iste oecumenismus pastoralis praecipuus adversarius schematis propositi exhibetur et praecipua causa huius discussionis tantum protractae. ⁵ deest. ⁶ decreta condimus pro nostris fidelibus, saltem primarie. ⁷ deest. ⁸ vero. ⁹ subiiciuntur. ¹⁰ imo et africanas. ¹¹ ad quam obiectionem breviter respondeo. ¹² deest. ¹³ Secundo dico Concilia illa orientalia usa esse verbis scholasticis in exponenda doctrina catholica, verbis dico, uti sunt « ousia, physis, hypostasis, prosopon » et similibus. Cur ergo exaggeratur in inculcandis differentiis inter theologiam conciliarem orientalem et theologiam nostri schematis? Schema de fontibus revelationis nobis propositum quoad expositionem positivae doctrinae et quoad reprobationem errorum omnino in eadem linea invenitur ac Concilia orientalia inveniuntur, etsi in reprobatione errorum utitur verbis valde mitigatis. Ex adverso, quaedam schemata quae circumferuntur, toto caelo differunt a stylo omnium Conciliorum orientalium et occidentalium et nituntur introducere in Concilium Vaticanum II, fere dicerem revolutionario modo, theologiam novam, quae analysim theologiam sustinere nequit. Dictum est schema nimis separare S. Scripturam et Traditionem, quod placeret fratribus separatim et unitim in Oriente vel in ipsa Africa. Hanc obiectionem, salva reverentia exc.mi episcopi qui eam protulit, exaggerationem esse duco. Exc. ep. Butorac, sabbato elapso, proposuerat ut conficeretur totum caput de S. Traditione. Cur? propter fratres orthodoxos qui nobiscum in Iugoslavia vivunt, et qui maximi S. Traditionem pendunt. Dum ego in meo seminario theologico theologiam orientalem explicabam, libenter prae manibus habebam varia manualia scholastica nostrorum orthodoxorum. In istis manualibus, ni fallor, disputatur cum fratribus protestantibus de theologia sacramentaria et de S. Traditione, quam nostri Serbi orthodoxi secundum fontem revelationis post S. Scripturam reputant. Forsitan exc.mi episcopi orientales, saltem quidam, non possunt, ob ignorantiam linguae latinae, bene sequi nostram discussionem et ideo putant nos nimis separare S. Scripturam et S. Traditionem; quod verum non est. Candide fateor me multum praecipuum esse de reprobandis erroribus modernis. In hac re bonum exemplum in Concilio Vaticano I inveni. In schemate istius Concilii de Fide, propositum erat ut condemnarentur errores quorundam auctorum Germaniae, sic dictorum semirationalistarum. Huic proposito sese opposuerunt multi Patres (inter quos noster episcopus Strosmyer, ceteroquin valde benemeritus pro natione nostra et magnus orator Conc. Vat. I). Isti Patres flocci pendebant aberrationes illorum, uti ipsi aiebant, professorum germanicorum et continuo postulabant, ut Concilium discu-



teret de potestate episcoporum loco de illis doctrinis scholasticis. Sed Concilium illa proposita excipere noluit, bene sciens omnem deviationismum in campo ideologico esse millies perniciosum quam in campo disciplinari. ¹⁴ romano.

Animadversiones additae:

1. Ad art. 1, lin. 3. Bene adhibitum est verbum Foedus loco Testamentum; ita enim ambiguitas quaedam evitata est: quatenus verbum Testamentum plerumque adhibetur pro Scriptura Veteris et Novi Testamenti et Traditio in eo includere non videtur.

2. Ad art. 2, lin. 10 ss. Nos pastorales, sit venia verbo, agere intendimus. Populus noster plerumque nescit hanc longitudinem transcendentiae N. Testamenti prae Vetere, ideoque suppliciter rogaverim, ut paucis indicaretur verbis ratio illius transcendentiae.

3. Ad art. 4. Candide sentio terminologiam in hoc articulo adhibitam esse clarissimam atque utilissimam ad praecavendam quorundam ambiguitatem auctorum modernorum in hac re quae nobis est maximi momenti in colloquio cum fratribus protestantibus. Quidam enim extenuare videntur, ob oecumenismum quendam immoderatum, verum conceptum Traditionis, quem vero conceptum nec nos nec protestantes quidem accipere possunt.

Ut autem via quaedam media inter sententias oppositas reperiat, loco « Duplex fons », censeo « Duplex via » vel similiter adhiberi posse, sed doctrina de traditione in articulo et in capite hoc optime exposita semper eadem maneat.

4. Ad art. 5, lin. 1 sq. Aliquid affirmari videtur nimis restrictive: asseritur enim, quod « Scripturae sensus non nisi Traditione apostolica certe et plene intelligi vel etiam exponi potest ».

Si hoc esset verum, tunc quaedam veritates, et quidem fundamentales in theologia fundamentali, quae reapse et certe et plene ex Sacra Scriptura hauriuntur et quidem nondum sub luce Traditionis (quia ad eas methodo pervenimus apologetica, ergo Traditionis auctoritate logice nondum supposita), absque Traditione nec certe nec plene intelligeremus. Quod autem affirmari non posse videtur.

Putae e. gr. indefectibilem institutionem Ecclesiae eiusque infallibilitatem, fundationem Ecclesiae eiusque hierarchicam constitutionem.

Quapropter humiliter rogo, ut citata formula in hunc modum vel similiter mutetur: Scripturae « sensus plerumque non nisi Traditione apostolica certe et plene intelligi vel etiam exponi potest ».

5. Ad art. 6. Articulus enim nimis spiritu exclusivistico scriptus esse videtur respectu fidelium et exegetarum. In eo enim unice describitur munus magisterii vivi in custodiendo, tuendo et interpretando depositum fidei.

Agnoscamus vere solius magisterii esse tueri ac authentice depositum interpretari, seu simpliciter tueri pertinere quoque tum ad munus fidelium tum vero exegetarum. De cetero, ut omittamus exegetas, nonne contingit, ut in regionibus a gubernatione athea oppressis depositum fidei in familiis christianis, quae in ecclesias adire prohibentur, bene custodiatur?

Etiam de munere « enucleandi » depositum fidei a parte fidelium et exegetarum hic non esse silendum puto. Nonne fideles et exegetae in progressu dogmatico non parvam decursu saeculorum partem habuerunt?

Ideoque humiliter propono, ut articulus integer in sensu indicato melius conficiatur ac denuo redigatur.

Propono ulterius, ut explicite (quamvis ex se necesse non est, quia magisterium



infallibile necessario scire debet limites suae infallibilitatis) aliquid addatur de omnimoda subiectione magisterii ecclesiastici veritatibus revelatis, ut cuidam oecumenismo sano indulgeatur atque obiectionibus Patrum praeveniat.

Secretarius generalis: Exitus suffragationis communicabitur crastina ... et, si necessarium erit, ad secundam suffragationem procedetur. Interea prosequitur, quia est in possessione, discussio de schemate *de fontibus revelationis*, et praecise de cap. I.

Communico omnibus Patribus quod, si forte mutandum sit schema iuxta exitum suffragationis, novum schema, discutiendum a feria VI proxima, erit *de instrumentis communicationis socialis*.

De cap. I loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Eugenius Tisserant; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Vincentius Jacono, ep. tit. Patarenensis in Italia; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Christophorus Butler, superior generalis Congregationis Anglicae O.S.B.; Eduardus Martinez, ep. Zamorensis in Hispania; Vitus Chang, ep. tit. Cyanitanus in Germania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis in Canada; Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco.

14

EM.MUS P. D. EUGENIUS CARD. TISSERANT

Non deest confusio in cap. I. Etenim, tituli ipsi confusionem generant. Quomodo loquitur schema de duplici fonte revelationis post nn. 2 et 3, qui tractant de transmissione revelationis? Primum revelatio facienda est, deinde transmittenda.

In n. 1, apostoli habentur ut fontes revelationis faciendae, cum dicitur: « Deus ... thesaurus sapientiae et scientiae suae toti humano generi per ipsum Filium suum eiusque apostolos effudit ». Sed in n. 4 alio modo describitur hoc apostolorum munus, qui, sive ab ore Christi, sive suggerente Spiritu, acceperunt. Duplex ergo origo doctrinae apostolorum et declarandum est quid fuit eorum munus *a)* in revelatione impertienda, *b)* in revelatione transmittenda.

In n. 3, episcopi apostolis assimilantur, cum dicitur: « sicut apostoli tradiderunt quae a Christo acceperant... sic episcopi, qui in Ecclesia locum apostolorum per successionem obtinent, eorum doctrinam semper praedicatione tradiderunt et cum auctoritate interpretati sunt ». Iustane est ista assimilatio?

Episcopi sunt « testes et interpretes ». Non dicitur quod apostoli



etiam interpretes fuerunt. Suntne episcopis inferiores? Quare non dici possunt « interpretes » ii duo evangelistae, qui apostoli fuerunt, Matthaeus et Ioannes, simul « fontes revelationis » et eiusdem « interpretes », quando mentem suam referunt suggerente Spiritu Sancto?

In n. 3 dicitur: « Ministerium... verbi, quod Christus et apostoli inceperunt, semper in Ecclesia servatum est ». Sed ministerium aliquid dicit activum. Christus fuit fons, apostoli fontes et testes. Estne Ecclesia etiam fons vel tantum testis authenticus?

In n. 4 dubitari licet utrum felix sit modus loquendi « tanquam in duplici fonte », quae verba desunt in constitutione dogmatica *de fide*, cap. II, Concilii Vaticani ad quam remittitur. Praeterea ibidem sermo est « de traditionibus », non de « Traditione ».

In n. 5 dicitur: « Traditio, eaque sola via est qua quaedam veritates revelatae clarescunt et Ecclesiae innotescunt » et mentio fit de inspiratione, canonicitate et integritate sacrorum librorum. Sed multum iam de eisdem e Novi Testamenti libris erui potest. *Itaque non traditio sola est via.*¹

In n. 6, quae est habitudo inter « Traditionem » et « vivum Ecclesiae magisterium »? Suntne res omni ex parte distinctae? Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest.

15

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Em.mi, exc.mi, rev.mi Patres Conciliares,

Humiliter fateor quod sentio. Nescio — *non intellego saltem*¹ — cur antequam *de fontibus revelationis* dicatur, non declaretur quid sit revelatio de qua agitur, ...² quae vis vere proprieque nomini revelationis subsit, et quale sit momentum eius pro hominibus etiam nostrae aetatis. Perperam enim, ut opinor, de re praecipua non initio, sed post absolutum cap. III tractatur.

Ceterum considerans cap. I, ut id sub oculis nunc habemus, nonnulla videntur mihi parum accurata. Iam inde ab initio capituli, pag. 9, lin. 3, quid significant verba haec coniuncta: « Revelatio ... nobis advenit Veteris et Novi Foederis oeconomia »? Num revelatio ipsa facta est oeconomia Veteris et Novi Testamenti? vel, ut clarius quaeram: oeconomia Veteris et Novi Testamenti valetne idem ac revelatio? Nemo

sane est qui hoc scite affirmare possit! Oeconomia Veteris et Novi Testamenti complectitur — saltem secundum communem acceptionem —, universam historiam utriusque Foederis, in qua eminet quidem revelatio divina, sed ab hac distinguitur, etsi historiae illi singularis Providentia praefuerit: quin tamen haec historia proprie appellari possit — sicut aliqui appellare non dubitant —, revelatio realis, distincta a revelatione quam vocant verbalem.

Eadem pag. 9, linn. 9-11, legimus: « Haec Novi Foederis revelatio, quae Veteris Foederis revelationem longe trascendit... ». Non ita dixerim! Revelatio sive in Veteri sive in Novo Testamento, cum sit pariter locutio Dei ad homines, qua talis aequali dignitate excellit. Placuit Deo, infinitae sapientiae et bonitatis, veritates supernaturales paulatim manifestare, ita ut revelatio, inchoata initio generis humani et per saecula in Veteri Testamento continuata, tandem compleretur per Iesum Christum in Novo Testamento, iuxta pulcherrimum S. Augustini effatum: « Novum Testamentum in Veteri latet, Vetus in Novo patet ».

Pag. 10, n. 4: *de duplici fonte revelationis*. Existimo non esse diu insistendum, nisi verbis ludere velimus, in refutatione sententiae illorum Patrum, qui contendunt a sacrosancto Concilio Tridentino unum tantum fontem revelationis agnoscere, nempe Evangelium, cum aperte affirmet Iesum Christum Dei Filium per suos apostolos iussisse « Evangelium praedicari omni creaturae tamquam fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinae ». Aliud enim est dicere revelationem esse fontem unicum salutaris veritatis et morum disciplinae, aliud est affirmare revelationem ipsam ad nos pervenire duplici tramite seu, quod idem est, duplici scaturigine. Evidenter illud celeberrimum Concilium nomini Evangelii subiecit vim totius revelationis, nam statim adiecit: « ... hanc veritatem et disciplinam (quas supra vocabulo Evangelii comprehendit) contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus ». Iamvero, si revelatio continetur tum in Sacra Scriptura tum in Traditionibus — quae simul sumptae Traditio in singulari recte appellantur — nos utrimque revelationem haurire possumus, quod quidem, etiam secundum normas grammaticas, idem est omnino ac dicere divinam revelationem ad nos pervenire ex duplici scaturigine, *sicut dixi iam*,³ seu ex duobus fontibus sicut docetur in scholis theologicis catholicis inde a pluribus saeculis.

Pag. 10, nn. 4 et 5. Non ostenditur satis perspicue, ut reor, quid intersit inter Sacram Scripturam et Traditionem. Propterea haec, plus minusve, adici velim: Traditio est fons revelationis antiquior, amplior, clarior fonte scripto, qui Sacra Scriptura vocatur. Etenim, Traditio tum in Veteri tum in Novo Testamento, antecessit aetate libris sacris; omnes sci-



mus, exempli gratia, apostolos accepisse a Christo mandatum docendi omnes gentes, et post descensum Spiritus Sancti praedicasse universam revelationem antequam libri Novi Testamenti scriberentur. Porro, dum Sacra Scriptura non omnes veritates de fide credendae contineantur, omnes sunt in Traditione, ad quam insuper recurrendum saepe est ut loci Sacrae Scripturae obscuri ac difficiles intellectu explanentur et quae ad singulorum librorum sacrorum genuinitatem, integritatem, divinam inspirationem pertinent, plene certeque *pro omnibus*⁴ clarescant...⁵ Uterque fons continet verbum Dei, id est proprie vereque locutionem Dei ad homines, sed in seipsis considerati, sunt regula fidei remota; regula fidei proxima cui nempe directe et immediate assensum fidei exhibemus, est vivum et perenne magisterium tum ordinarium cum extraordinarium Ecclesiae, quod per continuam Spiritus Sancti adistentiam est infallibile. Proinde, Ecclesiae magisterium est regula regulans fidei, et non regula regulata a Sacra Scriptura, ut nonnulli malunt dicere, quamquam idem magisterium ita Spiritu Sancto dirigitur, ut nihil umquam proponat credendum tamquam divinitus revelatum, quod non contineatur in fontibus seu in deposito revelationis, eidem Ecclesiae a Deo concredito ut depositum ipsum custodiat, tueatur, explicet. Peropportune in hunc locum cadunt verba S. Augustini contra Manichaeos: « Ego Evangelio non crederem nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas ».

Pag. 11, lin. 16 sqq. Haud recte, ut opinor, Ecclesiae eadem tribuitur auctoritas — sine ulla distinctione — in libris Sacrae Scripturae interpretandis et in perpendendis documentis et monumentis « quibus temporis decursu Traditio consignata est et manifestata ». Sacra enim Scriptura, utpote a Deo inspirata in singulis suis partibus, est in seipsa divina, documenta autem et monumenta christiana, vel antiquissima, sunt instrumenta (seu organa) simpliciter humana, quibus usum est magisterium vivum Ecclesiae ad veritates revelatas fidei et morum in diversis aetatibus exprimendas, vel iis usus est populus christianus ad fidem suam secundum doctrinam a magisterio vivo Ecclesiae sibi traditam, manifestandam et celebrandam. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² seu. ³ deest. ⁴ deest. ⁵ ut asseritur in schemate.



EXC.MUS P. D. VINCENTIUS JACONO

Episcopus tit. Patarensis

Em.me Princeps, venerabiles Fratres,

Unum tantum punctum aliquomodo tangam de Traditione apostolica et interpretatione Sacrae Scripturae.¹

Quae habentur in pag. 10, cap. I, n. 5, lin. 37 et sqq., et in pag. 21...² optima ratione *habentur*³ et peropportune dicuntur; *peropportune, inquam: sufficit recolere quae « Humani generis » habet, ut hesternae die audivimus, seu:*⁴ « (nonnulli) nullam habere volunt rationem analogiae fidei ac “ traditionis ” Ecclesiae »...⁵ Quapropter opportunissime videtur, mea humili sententia, sacrosanctam Vaticanam Synodum II confirmare et inculcare statutum Vaticani I: « Nos ... declaramus *mentem Concilii Tridentini*,⁶ ut in rebus fidei et morum *ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sacrarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari ».* Haec verba⁷ in plena et recta explanatione, etiam a Summis Pontificibus data, *sunt sumenda.*⁸

Hoc modo doctrinam et methodum Pii XII, piaie recordationis, *nos sequemur; Pius XII est ille,*⁹ cui omnes doctores in re biblica pergrati semper erunt pro magna charta exegesis catholicae, hac nostra aetate; *ipse dixit:*¹⁰ « ... ut sacrorum interpretes ad sanas illas catholicae exegetae leges revocarem, quas Sancti Patres et Ecclesiae Doctores et Summi ipsi Pontifices tradiderunt ». *Est votum, ni fallor,*¹¹ em.mi card. Meyer.

*Iuvabit quaedam recolere istius magnae chartae exegetae.*¹²

In secunda parte, *in Litteris Encyclicis Divino afflante Spiritu, Summus Pontifex*¹³ ostendit « quae agenda restent, et qua mente exegetae catholico tantum ac excelsum munus hodie aggrediendum sit, utpote operariis in vinea Domini sedulo laborantibus, novos stimulos novumque animum addamus »...¹⁴ quod revera a nobis omnibus libenter admittendum.

Agit dein Pontifex de linguarum biblicarum ac ceterorum quoque orientalium sermonum peritia comparanda, de archaeologia, de arte critica textuali et de critica litteraria « ut germanam ipsam SS. Librorum

sententiam reperiat atque exponat », addens: « singulari vero studio id agant, et non tantum — id quod in quibusdam commentariis fieri dolemus (*sunt verba Pontificis*¹⁵) — eas res exponant, quae ad historiam ... spectent; sed opportune ostendant librorum et textuum quae sit theologica doctrina, etc. ». *Addit*:¹⁶ « Cognitis quoque accurateque aestimatis antiquorum loquendi scribendique modis et artibus, multa dissolvi poterunt, quae contra *Divinarum Litterarum*¹⁷ veritatem fideoque historicam opponuntur; neque minus apte eiusmodi studium ad *sacri auctoris mentem plenius illustriusque perspicendam conducet* ». ¹⁸

*Ergo veritas imprimis et fides historica sunt prae oculis habendae. Fides historica sive Veteris sive Novi Testamenti (de fide historica Veteris Testamenti conferri potest quae dicit n. 558 Enchiridii Biblici), et praesertim Novi Testamenti, ut depositum fidei integre et sancte custodiatur.*¹⁹ Proinde si agitur de genere litterario « Dei sanctitati et veritati » repugnante — ut videtur dicendum de « midrash haggadico » quod *fabula ab ipso Wellhausen fuerit appellatum — hoc genus est respuendum in libris sacris.*²⁰

De veritate in *Divino afflante Spiritu* legimus: « Hanc igitur quam Decessor Noster Leo XIII tanta cum gravitate doctrinam exposuit, Nos quoque auctoritate Nostra proponimus et, ut ab omnibus religiose teneatur, inculcamus »...²¹

Ergo non videtur, *mea humili sententia*,²² amplius de « obiter dictis » loqui potest. De mente Pii XII quoad epistolam ad card. Suhard in *Litteris Encyclicis "Humani generis"* habentur *explicita quae conferri possunt.*²³

Haec et similia optime componuntur cum principio a Concilio Vaticano I statuto. Nulla quoque difficultas adesse videtur admittendi licere exegetae narrationem libri sacri methodice investigare, abstrahendo scilicet ab inspiratione et inerrantia, ut fit quandoque a sequentibus methodum « Formgeschichte », quae *tamen, ut notum est*,²⁴ vilescit apud ipsos heterodoxos. Tamen ubi et quando constat hagiographum, v. g. synopticum, aliquod enuntiare ut revera historicum, in sensu proprio, exegetae etiam in quantum apologetae, non quidem licere affirmare: hagiographus certe errat. Patribus enim omnibus, verbum traditum referentibus...²⁵, et doctoribus persuasum fuit divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni errore esse immunes, uti diximus. Cautè revera agendum ubi de hypothesis quibus doctrina in sacris libris et in Traditione contenta attingitur: « Quodsi tales coniecturales opiniones — habemus in Encyclicis Litteris *Humani generis* — doctrinae a Deo revelatae directe et indirecte adversentur, tum huius-



modi postulatam nullo modo admitti posse »...²⁶ In universum magna cautela et prudentia necessariae sunt interpreti: quod *magistri saepe proposuerunt discipulis*.²⁷

Conclusio: Sacrae Scripturae, divino afflante Spiritu exaratae, ab interprete catholico ergo tam integre et accurate explicentur ut felix et fecunda recentiorum, maioris eruditionis et provectoris artis, cum Traditione apostolica necnon Ecclesiae magisterio habeatur coniunctio, et omnes thesauri sapientiae et prudentiae, quae in divinis litteris habentur, in lucem facilius et rectius proferentur. Hac segura via vel methodo interpretes sacer trepidus et intrepidus — ut verbis Ioannis XXIII Summi Pontificis utar, verbis in oratione diei 24 septembris huius anni *ad magistros Sacrae Scripturae in Italia*²⁸ — accedat ad Sacram Scripturam universam cognoscendam et interpretandam. Erit ille bene meritus de sacro deposito, Ecclesiae magisterio tradito ut custodiatur et interpretetur.

Certus sum, venerabiles Patres, omnes nos firmiter tenere velle iuramentum ante sacram consecrationem episcopalem emissum: « Sacram Scripturam interpretabor iuxta sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia ». Votum ergo humiliter submitto: confirmetur et instanter inculcetur principium Vaticanum I...²⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² lin. 13-16. ³ deest. ⁴ cf. *Humani generis*. ⁵ (EB 612). ⁶ deest. ⁷ etc. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ cf. EB 538 et 541. ¹¹ iuxta. ¹² doctrinam et methodum quam iuvat recolere breviter. ¹³ Pius XII. ¹⁴ (EB 546). ¹⁵ deest. ¹⁶ cf. EB 550-560, ubi expresse. ¹⁷ ... ¹⁸ deest. ¹⁹ Fides historica et V. T. (cf. EB 558) et praesertim N. T. omnino curanda ergo et depositum fidei integre et sancte custodiendum. ²⁰ appellant — genus huiusmodi respuendum est (cf. EB 559). ²¹ (EB 539). ²² deest. ²³ cf. *Humani generis* (EB 618), epistolas enc. maximi momenti, quae plura de re biblica habet et in schemate prae oculis habentur cum ceteris S. Scripturis. ²⁴ deest. ²⁵ (EB 111). ²⁶ (EB 615). ²⁷ Em.mus card. Bea magistris S. Scripturae in Italia commendavit a. 1950. ²⁸ deest. ²⁹ « in rebus fidei et morum etc. ».

Praeses card. FRINGS: Nunc secretarius generalis annuntiabit exitum votationis factae.

Secretarius generalis: Audiant omnes! Cum, praeter spem, habitus sit exitus suffragationis, hic idem exitus communicatur statim ex mandato em.mi praesidis.

Praesentes votantes: 2209.



Tulerunt votum *Placet*: quod significat esse interrumpendam discussionem totius schematis: 1368.

Tulerunt votum *Non placet*: scilicet esse continuandam discussionem: 822.

Vota nulla: 19.

Maioritas quae requirebatur, maioritas $2/3$ partium, erat 1473. Cum igitur *Placet* non attigerit hanc maioritatem, non potest possidere; quapropter, de mandato praesidis, continuabitur discussio de schemate revelationis.